

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, ¹³
DE

**HÆMORRHO-
IDUM CONSENSU
CUM SCORBUTO,**

QUAM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

BORUSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE,

DN. MICHAELE ALBERTI,

MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,

PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS.

ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ *b. t.* DECANO SPECTATISSIMO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ET PROMOTORE

SUO OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis

More Majorum Solenni Obtinendis,

Ad d. Jul. MDCCXVII. horis ante & pomeridianis,

Publicæ Eruditorum ventilationi submittit,

GOTHOFREDUS Ritter

BRIGA - SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, *mosc. p. 1525*

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. *1525*

ol. spec.

50,2

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to include names and titles.



PROOEMIUM.



Verissimum est *Plato-*
nis in Lege Dialog. 5. dieterium:
quod turpe sit, quæ necessaria, nesci-
re: quod in omnibus humanis
scientiis & artibus sedulo & sol-
licitè inculcandum est, ne ani-
mus in alienas, vanas & fugaces
contemplationes excurrat, & in mustaceo laureolam
quaerat, sicque à rebus quotidie obviis magis diverta-
tur et utilem ueritatem non assequatur: & modo hi,
qui nouitatis studio immerfi, posthabitis necessariis &
ad rem magis spectantibus, euagationes & digressiones
suas modo agnoscant, si easdem confiteri verentur, si-
quidem id in laudem Hippocratis *Quintilianus* profert,
quod errores suos, ne posteri errarent, confessus sit Lib. 3.
Inst. Rhet. cap. 6. verum enim est Themistii effatum Libr. 5.
Ethic. ad Nicomachum cap. 9. maxima pars illorum quae sci-
mus, est minima eorum, quae ignoramus: quid enim tur-
pius est, quam in errore perseverare, turpissimum vero
est errores suos colorare, et ut certitudines obtrudere:
Inter alia vero Medicinæ offendicula & aberrationes,

non infimum locum occupant illæ splendidæ, specio-
 fæ & curiosæ effectuum assimilationes è dispari rerum
 indole compilatæ, quas ingenuus Baglivius singulari
 nota eliminat, et de quibus etiam ipse rerum eventus
 testatur, quam vanas & profanas reddat ætiologias: &
 haberent certe in hoc negotio quicumque certitudini
 medicæ consulere & steriles conjecturas evitare & de-
 clinare fatagunt, quo ab hoc otioso novitatum & curi-
 ositatum studio abstinerent, & potiori sollicitudine ad-
 verterent rerum ad medicam artem absolute spectanti-
 um consensum, dependentiam, transformationem et
 palindromen, ne petulantes & fugaces speculationes si-
 bi ejusmodi phænomena effingant, quæ in historia fa-
 cti vel inaudita vel rarissima sunt, sed quæ cum aliis
 phænomenis & effectibus alterius plane fori & scopi
 per transversum comparari possunt. Quo enim omnis
 ille allegoricarum tractationum apparatus, ni doctam
 aliquam ignorantiam parturiat & res alienas atque con-
 trarias misceat atque confundat, eo ipso vero animum
 & attentionem à rebus seriis & utilibus, nec non à ger-
 mana & simplici veritate seducat. Missis vero hisce
 querelis, hac potius occasione in Medicina practica, im-
 primis vero in historia medica, singulari studio, sepo-
 sitis præmaturis & præcocibus ætiologicis respectibus
 commendamus observationes circa morborum concur-
 sus, connexiones, complicationes, progressus & con-
 versiones, instituendas & stabiliendas, quæ conditiones
 uti quidem aliquo modo differunt, ita tamen singulæ
 ad historiam morborum genuinè tradendam & expo-
 nendam apprimè faciunt, quo in hac sparta, quantum
 per humanas vires possibile est, errores expurgentur &
 hoc

hoc primarium Medicinæ opus certioribus et sincerioribus fundamentis superstruatur. Seligimus vero hac vice morborum consensus, qui quantum lucis affundant pathologiæ practicæ facile liquebit, quando juxta primam originem & fundamentalem causam tota therapeutica tractatio ordinata, ita feliciter succedit, ut veritas cognitionis ex ipso consono effectu affatim elucescat. Inter alios vero affectus seorsim observamus *Hæmorrhoides* ex parte internas, ex parte etiam externas, quarum consensus cum aliis affectibus satis frequens & fonticus occurrit in experientia medica: & quanquam optandum sit, quo negotium hæmorrhoidale in simplici sua constitutione pro sua dignitate satis evidens & ab aliis satis agnitum & æstimatum sit, in quo utili et necessario desiderio tamen multi defectus passim occurrunt, tamen eo magis simplicem hæmorrhoidum faciem illustrabit, si earundem conspiratio cum aliis affectibus recte innotescit: propterea diversi tales consensus hæmorrhoidales passim illucescunt, qui pro veritate agniti, omnino præcavent, ne in alienas causas animus exorbitet, & non modo cohærentem affectum perturbet aut iniquè aut imperitè tractet, sed et ne ipsum primarium affectum, videlicet hæmorrhoides, offendat & confundat: Ita enim interdum motus hæmorrhoidales consentiunt, cum polymorpho illo hypochondriaco affectu, qui ex ignorantia elenchi aut contextus sui per vulgaria antihypochondriaca, ferro scil. & igne i. e. martialibus & carminativis, prærogante & primaria indicatione tractatus, eo certius in deteriore delabetur statum, & eventus testabitur, quam negligenter hæmorrhoidalis negotiï consensus observatus fuerit. Similiter occurrunt con-

spirationes inter molimina hæmorrhoidalia & colicam passionem, ubi alienum fuerit in hoc passu flatus dispellere, carminare et pro principaliori objecto profligare, adeoque stomachica cujuscunque magni nominis & ominis ingerere & colicam ut simplicem, aut diversam cerebrinam atoniam intestinorum proturbare velle: proinde in Historia Practica observatur consensus affectus Hæmorrhoidalis & Splenetici, quem vulgaris ætiologia vel plane negligit vel nimis superficialiter tractat, & impuritates materiales, acidas, hypochondriacas, atrabiliaras frequenter exhorret & accusat, adeoque operoso quodam conamine correctionibus humorum & roborationibus partium inhæret, sed vix levat, vel æquivoce mitigat, adeoque futuris morbidis & corruptis consecutionibus ansam præbet: cum contra vel spontanea hæmorrhoidum fluxio commonstret, quale & quantum emolumentum regioni hypochondriacæ ipsa offerat. Non minus motuum hæmorrhoidalium consensus cum reliqua alvi & urinæ excretionem in diversis alterationum speciebus occurrit, ut vel alvus solito strictior aut impeditior, vel cum multis tenesmodeis afflictionibus occupata deprehendatur. Urinæ vero excretio cum stranguriæ & ischuriæ molestiis stipata observetur: quarum mutationum causa frustra in qualicunque simplici acrimonia, aut confuso quodam spasmo imprimis vel fortuito nato, vel ab acri tali materia causato, inquiritur, licet congrua antispasmodica non raro ejusmodi effectus mitigare, imo plane tollere soleant. Huc spectat consensus motuum hæmorrhoidalium cum asthmaticis & tussiculosis consecutionibus, quando videlicet ejusmodi commotiones, superiores

re-

regiones petunt, & occupant, ut arduum videri posset, quæ respectus hæmorrhoidales in talia phænomena se extendere valeant, cum conceptui facilior videatur sententia de aciditate, genus nervosum vellicante, pectus & hypochondria in consensum trahente, aut de obstructione vasorum sangviferorum, tam in pectore quam hypochondriis facta, vel de atonia in affectis locis, nescias unde caulata. Neque omittimus consensum hæmorrhoidalium motuum cum affectibus cardialgicis & emeticis, qui per remedia stomachica magis exacerbantur, per opiata vero et adstringentia in maxime confusos & corruptos morborum metaschematismos conjiciuntur, ut admiratione digna videatur, refractaria illa conditio prædictorum affectuum, cum alias allegata remedia iuxta præscriptum iisdem mederi debeant. Et quid dicamus de illa notabili conspiratione negotii hæmorrhoidalis, cum affectibus nephriticis, ischiaticis, arthriticis vagis, rhevmaticis, internis inflammatoriis, podagricis, aut etiam cum oedematosis, hydropicis, tympaniticis, hepaticis, cachecticis, ictericis, scirrhosis, vel denique cum dysentericis, varicosis affectibus aut ipso mictu cruento, qualium calamitatum dependentia, conversio, consecutio & consensio, attento practico ignota esse minime potest, cum iam suo tempore eo & adverterit & ad eandem observationem ablegaverit *Hippocrates*, cujus monita & observationes tantum sedulo & ingenuo imitatore indigent: ex quibus singulis vero commonstrationibus facile patescit, quam multiplex & frequens sit hic consensus, quem omnino nosse debet artifex, ni alienam & fictitiam plane causam aggrediatur, & morbum morbo augeat atque plane depravet. Non
pla-

placet jam in specialiores consensus aliorum motuum & effectuum etiam anomaliorum cum motibus hæmorrhoidalibus excurrere, & in pectore, capite et distitis locis atque extremitatibus eosdem inquirere, utpote quæ consideratio nimis diffusa & passim alibi tractata fuit; seligemus potius hoc loco peculiarem & notatu dignum hæmorrhoidum consensum, cum affectu, qui in ore medicorum perfrequens est, & ratione suæ indolis etiam specificus & speciosus, quem vulgo *Scorbutum* nuncupant: & licet vulgo scorbuti appellatio familiaris admodum sit, & lippis atque tensoribus nota, non tamen deprehendimus, ubi præsens consideratio ex instituto commendata & tractata, aut ad minimum nomine indigitata sit, ni *Celeberrimus Stablius in Disputatione de Hæmorrhoidum internarum motu cap. 4.* ultimis verbis hanc animadversionem indicet: tentavimus propterea nostras vires, quo hanc observationem speciali opera commendemus, & pro negotio hæmorrhoidali magis illustrando & in metaschematismis suis exponendo, aut in progressibus, successibus & consecutionibus suis magis explicando, studium nostrum adhibeamus: Acturi itaque Inaugurali hoc specimine de **HÆMORRHOIDUM CONSENSU CUM SCORBUTO**: Precamur antea Deum benignissimum, fontem omnis veritatis, ut gratia sua nobis in hoc conamine & proposito adsit, quo non modo præsentem observationem pro sua dignitate inculcemus, sed & illius utilitatem in Historia Practica pro merito significemus, ita minime diffidemus quin eadem futuris applicationibus Practicis usus & utilitates suas ulterius largietur.

§. I.



Consensum hæmorrhoidum cum Scorbuto dum exponere cogitamus, antea monebimus quædam circa ipsum Titulum, ne quicquam obscuritatis remaneat, sed quo evidentia thematicæ reliquæ deductioni magis illustrandæ inserviat. Per *consensum* itaque intelligimus hoc loco illam negotii hæmorrhoidalis conditionem, per quam quoad progressum & *successum* hæmorrhoidalium motuum tales alterationes, *phænomena* & pathemata sistuntur, quæ *alteri* cuidam affectui *familiaria* existunt, ut ita compareat, quasi prior et ratione ordinis, *primarius* affectus sese successivè in *alium* transponat et *transformet*, aut quod alium affectum secum *jungat*, et complicitet; interim non æque necesse est, quo alterius connexi morbi vel *totus complexus* et systema omnium pathematum in priori affectu simul & uno tempore sese sistat, cum ad hunc *consensum* indicandum, vel *aliquot* tantum phænomena alterius affectus *essentialia* suffecerint, quæ cum tempore & prioris affectus duratione aut longævitate occurrunt, ex quo judicium ferri potest, quod prior affectus status non amplius sit genuinus aut *homogeneous*, sed nunc cum aliis morbis aliquo modo et per diversas circumstantias conspirare videatur, ad quam *communio-*
nem artifex imposterum animum suum dirigere debet, quo ulteriora hujus connexi mali *incrementa* opportunè & dextrè intercipiat, & primarium affectum à diversis *complicationibus*, quæ multam refractariam & *irregularem* indolem involvunt, liberet; antea vero illius communionis faciem, ortum, gradum & *statum* bene perspiciat & dijudicet, ne per *adversam* aut *inversam* medicationem *tertium* malum addat, & totum affectum corrumpat; ejusmodi vero consensus affectuum in tantum à perfecta & *absoluta* transformatione discrepat, cum *primarius* affectus adhuc *praerogativam* te-
B neat,

neat, & in schemate suo satis evidens existat, i. e. per numerosissimos effectus & plurima phænomena se comprobet, alter vero consentiens morbus *uno & altero* tantum signo sese prodat, id quod in *puro metaschematismo* morborum differt, dum posterior morbus & *quantitate & qualitate* symptomatum priorem superat, & hoc respectu de nostra præfenti substrata tractione indicamus, quod in eo scorbuti consensus cum hæmorrhoidibus elucescat, dum *primario* motus *hæmorrhoidales* per diversa & satis luculenta signa, phænomena & testimonia observantur, *secundario* vero *successive* quædam pathemata, quæ alias *Scorbuto* familiaria sunt, sese conjungunt, & hinc inde emicant, quæ licet per initia mitiora & leviora videantur, tamen non modo successive increbescunt, sed & deinde ita augescunt, ut præcedens consensus in actualem metaschematismum transire compareat.

§. II.

Non quidem iam in illam opinionem condescendere placet, quasi per *hæmorrhoidalem* fluxum sanguis atrabiliaris, *feculentus*, subacidus, qui alias pro *Scorbuto* formando & fovendo accusari solet, excernatur, neque ex hac ratione consensus inter hæmorrhoides & *Scorbutum* monstrare animus est, cum prior illa assertio non satis firma, quin magis supposita sit, quod assertum tueri videtur, observatio illa, quia interdum sanguis hæmorrhoidalis *nigricans* & spissus profluit, qualem colorem & consistentiam antiquitas *melancholico* adsignavit sanguini, quem per vulgatam credulitatem à reliqua utili, pura & laudabili massa defæcabat, & lieni propterea adscribebat, quod sanguinem hunc corruptum, & cum falsuginoso fermento inquinatum sequestret: ex quo etiam factum fuerat, quod loco discreti cujusdam sensus & conceptus, affectus *splenetici*, *hypocondriaci*, *hæmorrhoidales* & *scorbutici* crasse & graviter inter se *confusi*, non vero satis exactè *accidentalis* dependentia & communio eorundem demonstrata sit: unde similem confusionem evitantes, à priori asserto abstinemus, & longe *aliam* causam comprehendi-

di-

dimus, cui mutata illa sanguinis hæmorrhoidalis *tinctura* & *consistentia* adscribi mereatur: licet propterea non negemus, quod partim *Scorbutus* talem *dyscrasiam* salinam, acrem, acrescentem in sanguine contineat, aut sanguinem spissum, nigricantem & quoad qualitatem valde vitiatum reddat, partim quod *hæmorrhoides*, imprimis subsistentes, ad scorbutica pathemata sub certis circumstantiis contribuant; minime vero propterea asserimus quasi hæmorrhoides deficientes sanguinem *scorbuticum*, quem alias excernere fueverant, nunc retinerent: cum vicissim ex historia practica fluat, quomodo hæmorrhoides, imprimis liberalius & sæpius fluentes, non modo sanguinem bene coloratum, *floridum* & quo ad crasin atque consistentiam non facile culpabilem effundant, sed subinde etiam in futurum *cessantes* atque qualitercunque suppressæ ad *scorbutica* talia pathemata introducenda concurrant: quemadmodum etiam illa observatio prioribus adjicienda est, quod videlicet in certis subjectis, quæ infrequentius molimina hæmorrhoidalia experiuntur, aut vix unquam sincerum aut legitimum hæmorrhoidum successum subierunt, loco *sanguinis* sinceri, materia quædam *mucida*, albuginea aut leviter subcruenta, in qua nihil scorbutici seminii aut contagii facile præsumere licet, excreta fuerit, quæ tamen evacuatio per qualiacunque artificia vulgaria temere *repressa*, similiter ad ejusmodi *scorbuticas* palindromes & communiones causam subministravit: ex quibus singulis vero parallelis observationibus brevissimis indicamus, quod nobis dependentia hujus consensus & ordo causandi non ita facilis & succinctus, sed difficilior videatur: cum contra si primum assertum firmum & indubium esset, qualiscunque hæmorrhoidum impeditio & cohibitio, *facile* & cito non modo consensus scorbuticum, sed totum hoc malum introduceret, quod tamen est contra experientiam: dum communiter longe alii affectus, quam scorbutici hæmorrhoidum perturbationes excipere soleant.

Et dum de *hæmorrhoidibus* dicimus, quod cum *Scorbuto* *consentiant*, duplex mox occurrit quæstio: primo an hoc dictum sit de *hæmorrhoidibus fluentibus* & constanter recurrentibus, an vero de *moliminibus*, ad actualem vero fluxum non pertinentibus & de *suppressis*, atque de *anomalicis* motibus hæmorrhoidalibus: secundo de qua hæmorrhoidum *specie* hoc dictum sit, num de hæmorrhoidibus *externis*, num vero de *internis* hæmorrhoidibus; quæ utraque circumstantia antea pensanda & recte decidenda & discernenda est: quod vero *primam* quæstionem concernit, minime de *legitimo* & simplici hæmorrhoidum fluxu asserimus, quod cum Scorbuto consentiat, cum potius solertes & attentissimi Practici observaverint & annotaverint, quod partim justus hæmorrhoidum fluxus, *successus* & *recursus* à Scorbuto *præservet*, quin eundem *imminentem* arceat & *avertat*, partim etiam iam *præsentem* mitiget, & ita tractabilem reddat, quo reliquæ medicationes eundem facilius tollant, ita *Ronseus*, *Horstius*, *Sennertus*, *Mollenbroccius*, *Bonettus*, harum circumstantiarum testes sunt, & monent si hæmorrhoides in scorbuto *sponte* non aperiuntur, quod *arte* provocari debeant, quare etiam *hirudinum* applicationem ordinare sciunt: unde rectius sermo est de hæmorrhoidibus vel *inordinatè*, *insufficienter* & *impeditè* fluentibus, vel penitus *suppressis*, vel cum diversis *moliminibus* & motibus imprimis *spasmodicis* atque *stagnatoriis*, *restagnatoriis*, *oppletoriis*, & similibus operosis & evidentibus *anomalicis* consecutionibus exeuntibus, quo imprimis temperamentum, magis melancholicum, & diæta atque vitæ genus contribuunt; quare vicissim observatores accuratiores inter *causas* scorbutum provocantes hæmorrhoidum *suppressiones* recensere solent, licet ex antiqua ætiologica quadam persuasione, quam modo in præcedenti Thesi allegavimus; cum tamen effectus & eventus ex historia practica & specie facti satis luculenter pendeat: quod *alteram* quæstionem attinet, breviter hoc loco signific-

ficamus, quod nobis non de qualibet hæmorrhoidum specie fermo sit, quin principaliorem respectum *internarum* hæmorrhoidum habeamus, quæ etiam non raro cum *hypochondriacis* affectibus conspirant; sicut itaque in vulgari pathologia hujus *hypochondriaci* mali *consensus* cum *scorbuto* non modo satis sæpe allegatur, sed & excessive accusatur, ita ut secundum quosdam ille affectus sit quasi *primus* gradus & *accessus*, aut *initium scorbuti*, ita etiam motus hæmorrhoidales *interni* cum *scorbuto* consentiunt; & licet scorbutus quædam *symptomata* contineat, ut dolores lumbares, nephriticos, arthriticos, urinæ vitia &c. quæ cum *externis* hæmorrhoidibus cohærere videntur, tamen partim *potiora* pathemata, quæ in hoc consensu observanda sunt, magis *intimiores* radices habent, partim externa scorbuti symptomata modo allegata, ab aliis adhuc causis, provenire possunt atque solent; quo denique spectat, quod *externæ* hæmorrhoides scorbutum *non adeo* levent & mitigent uti *internus* hæmorrhoidum fluxus: siquidem passim auctores in genealogia *scorbuti* illas regiones et *partes* commemorant, per quas sanguis hæmorrhoidalis *internus* non modo transfluit, sed quæ reliquæ quoad *progressivum* sanguinis motum cum *motu hæmorrhoidali interno* conspirare solent: qua propter hoc loco & in reliqua deductione nostras animadversiones & observationes Pathologico-practicas *magis ad internas* quam *externas*, hæmorrhoides dirigemus, licet reliquas connexiones, externum hæmorrhoidum fluxum in hoc negotio concernentes, non penitus negligemus.

§. IV.

Cum iam Hæmorrhoidum mentionem fecerimus ordo requirit, ut de *Scorbuto* aliqua præfemur, cum conceptus de scorbuto nimium quantum confusus passim deprehendatur; & meretur certè, juxta *triviale* Pathologiam, in qua *uniuersales* plurimum causæ accusantur, ad communia *asyla* referri, quando vel qualiscunque *abdominis* afflictio, vel levis *gingivarum* cruentatio, vel *superficialis* quædam macula, non ma-

gni momenti, vel incognitum quoddam *accidens* & sympto-
 ma occurrit, mox plenis buccis decantatur & accusatur *scor-*
butus, adeo ut iuxta hanc denominationem tota scorbuti hi-
 storia non parum turbata & perversa sit, & ferme nullus mor-
 bus in tota Pathologia medica profet, qui non secundum il-
 lam *generalem* scorbuti applicationem, hoc nomine saluari
 queat; ob id imprimis scorbuti notio garrulis chirurgis &
 stupidis tonsoribus ideo usitata est, ut in innumeris ferme
 subjectis sangvinem scorbuticum culpent, & antiscorbutica
 vel sangvinem mundificantia & edulcorantia remedia ordi-
 nent; ob modestiam nihil dicemus, quantus abusus circa
 scorbuti cognitionem, denominationem & applicationem
 passim occurrat inter ipsos medicos, ut adeo interesse videat-
 ur brevem & succinctum conceptum de hoc affectu suppe-
 ditare: non quidem hoc loco latius perquirere placet, in
 quantum hic affectus veteribus innotuit, & ab *Hippocrate* vel
 sub *magnorum splenum* aut *Ilei hæmatitis* nomine in *Libr. de*
internis affectionibus, indigitatus fuerit, aut juxta *Iunium* &
Marcellum Empiricum (*repugnante licet Rosseo in Libr. de ma-*
gnis Lienibus Hippocratis) Oscedo appellari mereatur: vel
 an ille affectus sit quem *Strabo* Stomacacem & Scelotyrbem re-
 ferente *Charletonio Tr. de scorbuto* appellavit: illud vero no-
 tamus quod hujus affectus vera ratio & consideratio inqui-
 renda sit, partim in magna *spissescencia*, *obmucescencia* & *len-*
tescencia sangvinis, quæ ad varias *spasmodicas* commotiones
 ansam præbet, partim in nimia *seri acrioris* coacervatione in
 sangvine, & exinde proveniente vera illius *acrimonia*, partim
 in mala *subactione* tam *seri* quam fluidorum humorum, cum
 tota sangvinis massa, partim etiam in *abundantia* humorum:
 adeo ut in hoc affectu concursus diversorum respectuum ad-
 sint, cum malum sit *complicatum*, & in vitio *quantitatis*, *quali-*
tatis & *motuum* consistat, proptereaque tam contumax & re-
 fractarium existat: ubi adhuc differentiam hanc inculcamus
 inter *simplicem* sangvinis *crassitiem* & *scorbuticam* hanc tena-
 cem, *lentam* & mucidam spissitudinem, quæ posterior tamen è
 pri-

priori cum mora & successu provenire potest : quæcunque itaque *essentialia* & palmaria pathemata in scorbuto occurrunt, illa ex modo dictis fundamentis fluunt, in quantum in Scorbuto non modo molestæ *oppletiones* corporis à sanguine *superfluo*, sed & gravia *progressus* liberioris *impedimenta*, *secretiorum* & *excretionum* heterogeneitatum ferofarum, biliofarum, mucidarum *insufficientes* successus, proximiores dispositiones ad *corruptiones* non simpliciter ulcerofas sed mixtas & immorigeras, frequentes humorum *stagnationes* uti in uniuerso corpore, ita tanto magis in ominosa illa *Vena Portæ*, quin actuales *stases*, & *propter* has susceptæ commotiones *spasmodicæ*, majori gradu successively insolescentes, annotari debent: ex quo etiam facile elucescit, quam multiplicatum & *polymorphum* hoc sit malum, quod singulares & fonticas causas requirit, pro sua genesi.

§. V.

Proximum est ut etiam dispiciamus an hic *consensus* hæmorrhoidum cum Scorbuto in historia practica admodum *frequens* sit: ubi duplicem hanc offensionem indicare debemus: primo quomodo ex frequentia negotii *hæmorrhoidalis* ad frequentiam hujus *consensus* facile conclusio formari possit: secundo quomodo ex frequenti *Scorbuti* & *scorbuticorum* affectuum accusatione & suppositione, etiam hic *consensus* ut *frequens* supponi possit: at quoad primum non æque necesse est, ut semper aut frequenter molimina & anomalix hæmorrhoidum in tantum gradum alterationum increbescant, qualis in scorbuto adest: quoad alterum vero merito reprobanda est illa *abusiva* scorbuti accusatio, siquidem non omnis illa afflictio Scorbutus est, quæ ita vocatur, adeoque alia *frequentia* Scorbuti est *speculativa* aut cerebri-
na, vel quæ in *libris* occurrit, alia vero est *practica*, quæ in subjectis adest, & in *lectis* ægrotantium deprehenditur, quemadmodum scorbutus & concursus scorbutici frequentius in locis *borealibus*, imprimis vero simul *maritimis* conspiciuntur, quam in meridionalibus aut inter meridiem & septentrionem

nem

nem positis : ex eo itaque aperte obtestamur, quod hic consensus inter nostrates *non ita frequens* sit, neque tamen etiam *inauditus*, imo quod prudenter inquirendus & observandus sit, quo sub reliqua negotii hæmorrhoidalis disquisitione condignè elucescat, quid ad *essentialia*, quid vero ad *accidentalia* illius referri debeat, ne forte ex aliqua præcipitantia, utrosque discernendos respectus tum hæmorrhoidum, tum etiam Scorbuti confundamus & pro uno eodemque æstimemus & tractemus: siquidem non raro multorum animum vanus ille metus obsidet, quando *hypochondriacos*, qui interdum & quidem non *infrequenter* hæmorrhoidalibus motibus affliguntur, mox *scorbuticos* declarant, & dum ad scorbutum profligandum manus admovent, per acria vulgaria antiscorbutica remedia & *motus* hæmorrhoidales *exacerbant*, & affectum *simplicius* hypochondriacum ægre afficiunt & offendunt: ut ut vero hic consensus Scorbuti, cum moliminibus hæmorrhoidalibus, non *adeo* familiaris existit in locis *calidioribus*, tamen digna hæc est obseruatio quo commendetur, ut partim in illis locis ubi *frequentius* occurrit, magis agnoscat et applicetur, partim in reliquis locis affectuum & morborum *genuina* indoles, & varia complicatio aut consecutio intelligatur, partim denique *fontes causarum* & melius comprehendantur & curati- us distingvantur: neque unquam in hac consideratione de- erit usus quotidianus vere medicus tam diagnosticus quam prognosticus & therapevticus: qui usus eo usque se exten- dit, ut rationabiliter & certo colligere liceat, quantum spei superfit, circa hæmorrhoidum *promotionem*, quando scorbutus cum schemate hæmorrhoidali complicatus est: interea etiam attenti & periti præcti hanc animadversionem, pro digna æstimarunt, ut non modo *in Thesi* declarent, sed et in diversis *historiis* comprobent: utpote quo studio non pa- rum utilitatis ad *historiam medicam* magis magisque stabili- endam, locupletandam & illustrandam conferunt, modo po- stea circa *causales* dependentias, quantum possibile irregula- ritas & confusio sollicite evitetur.

§. VI.

Ducunt nos generaliores hæ observationes circa præsentem tractationem occupatæ, ad illam disquisitionem, an nimirum hic consensus hæmorrhoidum cum scorbuto, aliis practicis *antiquiorum & recentiorum* temporum cognitus fuerit; quo loco primum ex *Hippocrate* allegare placet, quomodo in *Libro de internis affectionibus* affectus cuiusdam quem *Ileum hæmatiten* vocat, reminiscatur, cujus varia signa depingit, & inter alia de eodem commemorat, quod *malum odorem oris & dentium* inferat, quod *gingivas abscedere* faciat, quod *ulcera crurum* causetur, quod *nigrum colorem* excitet, quod ad *deambulandum & laborandum* (juxta versionem) promptos reddat homines, ex quibus signis momente *Horstio de Scorbuto Sect. I. §. 7. Langius Lib. 2. Epist. 14.* hunc affectum pro Scorbuto declarat, licet *Ronsseus de Scorb. cap. 4. & Sal. Albertus Hist. Scorb. thes. 169.* hoc *Langii* iudicium invehant, quem tamen *Foesius & Dodonæus* juxta *Reusnerum de Scorb. Exerc. 1.* salvare videntur, dum è textu Hippocratis negativam sententiam arcessunt, & contrario sensu indicant, quod ita affectus ad deambulandum & laborandum & *περόδυσμος* non promptus existat: quanquam vero hic respectus non æque ad nostrum scopum faciat, tamen cum *Ileus* ille *intestinarum* affectus existat, qui reliqua pathemata, quorum in l. c. *Hippocrates* mentionem facit, in consensum trahit, ita post sufficientem disquisitionem *Illustris Stablius.* *Disputatione de Hæmorrhoidum internarum motu p. 14.* hæc verba profert: *nos ut ad nostram rem hæc applicemus, non dubitamus quin affectus ille, quem Hippocrates Ilei Hæmatitis nomine depinxit, sit illud, quod D. Præses Colicæ hæmorrhoidalis nomine designare solet: si itaque iuxta plurimorum mentem ex hoc textu Hippocratis scorbuti notitiâ inter veteres defenditur, eo ipso tanto suffragio tum ipsius rei, tum probatissimorum virorum freti, consensum hunc inter hæmorrhoidale negotium & scorbutum commonstramus: siquidem Ileus ille hæmatites Hippocratis commode ad anomalicos hæmorrhoidum*

dum successus referri potest, quemadmodum juxta præcedentem nostram declarationem scorbutus talis non nisi anomalis hæmorrhoidum successibus sese jungere solet: sicuti adhuc Hippocrates de hoc affectu in præcedenti prima vulvi specie juxta *versionem Lindenii* §. 47. *text.* 42-44. edisserit, quod si *tertio revertatur, patiens contabescat*, aut quandoque *ascite hydrope* corripitur; quod ferme sub iusta interpretatione idem est, ac ipse *Hippocrates Sect. 6. aph. 12.* dicit: *hæmorrhoides sananti diuturnas si non una servatæ fuerint, periculum est hydropem aut tabem accedere*: quemadmodum I-leus ille hæmatites ad anomalias hæmorrhoidales relatus, *defectum* eruptionis hæmorrhoidalis involvit, cum tamen ejusmodi subjecto salutare fuerit, si hæmorrhoides fluerent, unde per insolitam viam eadem effunduntur nimirum *in naribus*, quando *Hippocrates* §. 49. *text.* 7. hanc circumstantiam allegat: uti talis conversio, narium hæmorrhagiarum cum motibus hæmorrhoidalibus vicissim ab eodem Sene allegatur *Libr. II. Prorrhæ.* quo loco de Coxendicum doloribus agit, & de narium hæmorrhagiis & hæmorrhoidibus illic satis peritè differit: quæ hermenevtica probe annotanda est, & ex qua, juxta Hippocratis observationem consensum hæmorrhoidum cum Scorbuto significamus.

§. VII.

Incidit adhuc memoriæ quod *Hippocrates* in *Lib. de Sanitate tuenda*, de sanguine abundante dicit, quod os hominis *fætere* faciat; quod ipsum facile ad præcedentem textum de *ileo hæmatite* reduci potest, qui ipse etiam malum odorem ex ore causatur, sicut per congruam deductionem in eodem plenitudo sanguinis demonstrari potest: qua occasione alterum Hippocratis locum allegabimus quem *Lib. de humoribus* §. 11. *text.* 1. *seq.* proponit, & in *Lib. Epidem. 6. Sect. 3. text.* 64. *seq.* repetit: *qui hæmorrhoides habent neque pleuritide, neque peripnevmonia periclitantur, neque ulcere exedente neque furunculis neque tuberculis therebinthi figuram habentibus* (aut ju-
xta

xta Foesium: quæ à cicerum similitudine terminthi dicuntur:)
pariter neque lepra, (pariter neque rosione in summa cute pru-
riginosa furfuracea) fortassis neque vitiliginibus: quo loco
etiam ulcerum & quidem exedentium memoriam injicit,
sicuti in altero loco in Libr. de intern. affection. etiam de ulce-
ribus in cruribus disserit, et sicut Galenus Lib. VI. de morb.
vulg. com. 3. de hoc textu Hippocratis agit, per terminthorum
nomen, nigras quasdam pustulas in cruribus orientes significat:
sicuti in altero parallelo loco coloris nigricantis reminiscitur:
& quando juxta Foesianam editionem extat: fortasse neque a-
liis, tunc Galenus loc. cit. dicit: sed quod in extremis verbis
scriptum est, fortasse autem neque aliis, quidam legunt, fortas-
se autem neque alphis: quando quidem & alphi ex quodam pra-
vo humore cuti impacto oriundi sunt: siquidem alphi aut viti-
ligines vulgò humoribus vitiosis, atrabilariis, malignè corru-
ptis, serosis & juxta hodiernum stylum scorbuticis adscribun-
tur; quemadmodum à nonnullis pro nigra macula accipiun-
tur: & si in priori textu de ileo hæmatite dixit, quod cutem
tenuem reddat: ita in posteriori exprimit: quod neque le-
pra corripiantur qui hæmorrhoides habent; jam vero con-
stat, quod omnino in lepra cutis admodum tenera occurrat,
quæ vel leviter fricata excoriatur, ut foeda crusta increfcat,
quæ secedente iterum cutis tenuis adest: ex quibus singulis a-
nimadversionibus non parum harmonia sensus Hippocrati-
ci in hoc negotio elucescit; ut nihil vel ulla vi textui extor-
queamus, sed ad ipsam applicationem animum dirigamus,
quomodo indicata talia phænomena, tam ad hæmorrhoidale
negotium, quam ad scorbuti indolem referri queant: ita ut
difficile haud videatur, quo inter antiquos & medicinæ pro-
ceres aliqua hujus consensus vestigia deprehendamus: quan-
do vero in consensu scorbuti cum hæmorrhoidibus descri-
bendo operam adhibemus, non intelligimus, quasi totum
scorbuti complementum, cum illo negotio consentire debe-
at, unde etiam in allegatis textibus tum Hippocratis, tum Ga-
leni aliquot tantum specimen recensentur, quæ de scorbuti

indole testimonium perhibere possunt, ut nihil amplius de phagædenis illis ulceribus quorum *Albertus, Ronseus, Wierus, Evgalenus, Horstius, Sennertus* aliique in scorbuti explanatione memoriam faciunt, dicamus, qualia etiam ab Hippocrate allegantur, à quibus illi salvi prædicantur, qui hæmorrhoides habent: sicuti hæc observatio omnino in hoc consensu demonstrando tenenda est.

§. IIX.

Præter hæc documenta ex antiquitate petita, placet pro meliori præsentis observationis enucleatione adhuc unum & alterum testimonium ex certa circumstantiarum collatione & conciliatione petitum, allegare: qua occasione ante omnia iterato eo prouocamus, quod de hoc consensu *Excell. Stablius in Dissertationibus de hæmorrhoidibus internis & externis* rotunde edisseruit, & circa anomalicos hæmorrhoidum successus & eventus exponendos, & evagationes hæmorrhoidales commemorandas, fatis solidè docuit: quo referimus illa multoties allegata practitorum testimonia, quibuscum *scorbuti* genesis ex hæmorrhoidum *suppressione* indicare sciunt, ut præter superius allegatos viros *Horstius de Scorbuto Sect. I. §. 25. Wierus observ. de Scorb. Sal. Albertus in hist. Scorb. th. 56. Evgalenus de Scorb. p. 2.* ad quos posteriores Horstius provocat, hujus observationis peculiarem mentionem faciunt: quo respectu non modo ratione *consecutionis* scorbutus cum hæmorrhoidibus consentit, sed & ratione *continuantium moliminum perturbatorum hæmorrhoidalium*, quæ suppressum fluxum hæmorrhoidum excipiunt, & posthac cum scorbutico illo affectu conspirant: siquidem peculiari studio ex *hæmorrhoidibus per unguentum de tabaco suppressis scorbutum* delineat & recenset auctor *obs. 331. A. N. C. Dec. I. A. 3.* Et cum *hypochondriaci* non raro molimina *hæmorrhodialia* experiantur, ita hoc respectu inter practicos observatum hunc consensum scorbuti cum hæmorrhoidibus notamus, siquidem consensum inter affectum hypochondriacum & scorbutum non modo pro merito, sed etiam paulo *excessive & liberaliter* mul-

multi significant, quemadmodum paulo propius & pressius ad hoc negotium advertentes ipsum *Wedelium* citamus qui in *Pathologia* sua de omnibus *Scorbuticis* dicit, quod sint *hypochondriaci* (ergo per bonam consequentiam *hæmorrhoidarii*: & alibi dicit: *Scorbutus est eminentior gradus quidam affectus hypochondriaci*: sicut ipse etiam in *Ephemeridibus Germanicis* dec. 1. An. 2. observ. 234. *maculas scorbuticas in hypochondriaco* recenset: quo spectat, quomodo in *Dec. I. an. 3. p. 150.* notetur, quod *hypochondriacis & scorbuticis* sanguis per *hæmorrhoides* exsolvatur, ut *Timæus à Guldenlee* *Libr. II. cas. 34. p. 144.* in *scorbuto hæmorrhoidum* apertionem laudat, cum quo plurimi alii consentiunt, qui scorbutum describere susceperunt: quibus singulis animadversionibus annumeramus historiam *Ledelii* *Dec. III. ann. 4. obs. 91.* comprehensam, qua anomalias hæmorrhoidales pro scorbuto declaratas sistit, & quod blando hæmorrhoidum fluxu à farcina morbifica, nimirum scorbutica, liberatus sit patiens commemorat: ita etiam *Platerus* *Præceos med. Part. III. cap. 4. p. 468.* ingenuè dicit de scorbuto: *hæmorrhoidum apertio plurimum affert emolumenti*: si verò singulas has & adhuc parallelas alias animadversiones practicas perpendimus & dijudicamus, facile liquebit, quod ad minimum hic consensus inter medicos sufficienter agnitus sit, licet interdum in hac observatione aliqualis *abusus* occurrat, & scorbutus aliquando frustra accusetur; imo licet deductio causalis non semper adeo firma & certa sit, sed multis obsoletis suppositionibus aut traditionibus nitatur: tantum interea adhuc brevissimis quasi ex superfluo in generica hujus observationis commendatione adjicimus, quomodo tam in *scorbuto* diversa molimina *hæmorrhoidalia* occurrant, quam quomodo diuturnis moliminibus hæmorrhoidalibus sese pathemata scorbutica jungant.

§. IX.

Sed expediet jam quo proposito nostro satisfaciamus, ut aliquo modo *specialius* hunc consensus *hæmorrhoidum*

cum *scorbuto* exponamus, ubi omnino necesse erit, ut demonstrationis loco quædam *phænomena* ex historia practica petita recenseamus, quæ hæmorrhoides & scorbutum connectunt: quo loco iteratò sed brevibus tantum repetimus, quod superius monuimus, nimirum quod nobis sermo non sit de legitimo hæmorrhoidum fluxu, qui potius *medicina contra scorbutum* est, sed loquimur de *moliminibus & anomaliis hæmorrhoidalibus* acerbis, diutius & impeditius affligentibus, adeoque scorbuti pathemata *successive* inferentibus. Quod enim ipsam appellationem *nominis* scorbuti attinet, illi qui præ aliis de eodem diffusius & ex instituto differere ceperunt, quo *Sennertum* referimus, cruciatus aut tormenta ventris, *vexas in abdomine* per scorbutum intelligunt, aut iuxta *Sclavonicam* etymologiam *morbum ventris* indicant, quasi ipse non modo suam sedem in abdomine habeat, sed & in eodem præcipuas suas vexationes exferat, quasi sit *Scheer-Bauch* scorboyk, scorbut; qui si gingivas inficit *Scheer-Mund*, si crura affligit *Scheer-Bein*, à potiori vero scorbutus vocatur: iuxta hanc considerationem etiam molimina illa & anomalia *schemata hæmorrhoidalia* primario & ut plurimum *sedem* suam in *abdomine* aut ventre habent, & in eodem *vexationes* sive cruciatus suos exferunt, quin successive ex hoc loco in alias partes aut ipsas denique corporis extremitates evagantur, uti illud etiam scorbutus servare & perficere solet: si vero deinde propius tormenta talia in abdomine occurrentia perquirimus, tunc illa quæ in scorbuto occurrunt sunt *spastica*, torminosa, tensoria, contractoria, obstipatoria, constrictoria, colica acerbiora, semi convulsiva, in medullis intestinorum transcurrentia, vehementiora, quam simplicius colica, de quibus *Sennertus* dicit, *quod sub illis, venter non attollatur, sed deprimatur & cum umbilico introrsum revellatur* &c. & ejusmodi cruciatus etiam adsunt in moliminibus acerbioribus hæmorrhoidalibus, nec non hypochondriacis, qui per contumacissimos & immoderatissimos spasmos introducuntur, & non modo cum intestinis, sed im-

pri-

primis etiam cum mesenterio & aliis adhuc tunicaceis & membranaceis abdominis partibus perficiuntur: & hi dolores eò magis obfirmantur, quo importunius hæmorrhoides vel *repressæ* sunt, vel quo impetuosius ab intra *eluctantur*, & per qualescunque *concurrentes* causas exacerbantur, ex quo evenit, si molimina *hæmorrhoidalia* denique *scorbuti* larvam induunt, eo certius & vehementius hi *spasmodici* motus sæviunt, quia tam hæmorrhoidum negotio, quam scorbuti indoli familiares existunt, ut adeo principalioris hujus spasmodici pathematis disquisitione, de consensu utriusque affectus testimonium perhibeat, utpote quæ annotatio ex ipsa scorbuti significatione fluit: hinc etiam auctores hos affectus qualescunque *spasticos*, sive *constrictorios* in genere, sive *colicos* torminosos seorsim à vulgaribus colicis afflictionibus distinguunt, quia tam ex foro hæmorrhoidalis affectus, quam scorbutici schematis, unitis veluti viribus & gradibus sæviunt: quemadmodum colica hæmorrhoidalis, de qua *celeb. Stablius* dixit quod Ileum hæmatiten Hippocratis denotet, simplicem colicam acerbitate admodum superat: & sicut volvulus ille sanguineus scorbuti indolem prodit, ita facilius scorbuti consensus cum hæmorrhoidibus elucescet.

§. X.

Mox vero huic circumstantiæ, quæ circa *historiam* hujus consensu delineandam versatur, ad latus ponimus *dolores* & alterationes in *hypochondriis* occurrentes, & tam in *scorbuto*, quam *hæmorrhoidum* negotio sese sistentes: placet vero hac occasione allusionem Hippocratis, quam in *Libr. de internis affectionibus* §. 34. proposuit, citare: *venter inflatur, postea vero etiam splen intumescit & durus est, & dolores acuti in splenem incidunt: color autem mutatur & conspicitur niger, pallidus, malicorii speciem referens, & ex aure male olet, & gingivæ male olent, & à dentibus discedunt, & ex tibiis ulcera erumpunt, velut pustule nocturnæ, membra vero attenuantur: quo textu senex describit alium splenis morbum, quales plu-*
res

res in superioribus commemorat, in quo singularia pathemata *scorbuto* familiaria, designantur: quid quod de hisce hypochondriorum doloribus refert *Sennertus*, quod in scorbuto nunc unum nunc alterum latus corripiant; sicuti experientia etiam comprobat, quod hi dolores consistant, vel in inflationibus, oppletionibus, distensionibus, vel pulsatilibus lancinatoriisque cruciatibus, (qui interdum infarctus duriores inferunt, quo adhuc spectat gravativus ille hypochondriorum sensus,) qui etiam in lumbos sese extendunt, adeo ut ejusmodi dolores lumbares, ischiadici & coxendicum non raro in tali affectu, de quo nobis sermo est, vel simul sæviant, vel cum aliis cruciatibus alternent: quo loco notatu dignam *Sennerti* observationem excerpere non alienum erit, dicit: *ut enim ex nimia sanguinis abundantia, vel humoribus pravis, in vena magna lumbari contentis - - - in fœminis in suppressione mensium & ante mensium fluxum, in viris in hæmorrhoidum suppressione, dolores in lumbis excitari solent: ita & in hoc malo, sanguine vitioso in eadem vena hærente, dolores in lumbis excitantur.* Et quem latet, quo minus similes dolores, tam *hypochondriorum*, quam *lumborum* in negotio *hæmorrhoidum* occurrant, & quidem internè vel hepatici vel splenetici, qui eo certius oriuntur, quo firmitus hæmorrhoides suppressæ sunt, & quo acerbius anomalix hæmorrhoidales continuant: quales afflictiones subinde raro defunt, si hæmorrhoides diutius *suppressæ manent*, aut *molimina* hæmorrhoidalia magis magisque *obfirmantur*, proinde etiam adhuc alia pathemata scorbuti præsentiam atque concursum significantia oriuntur: imprimis vero adhuc peculiari studio annotamus affectus illos *spleneticos*, qui tam in *Scorbuto*, quam in *hæmorrhoidum* negotio sese offerunt: unde quidam plane *sedem*, *feminarium* & *radicem* scorbuti in *Liene* supponere sciunt, sicuti juxta eundem stylium affectus illos *hæmorrhoidum* suppressionem excipientes, *Lieni* imputare malunt, quia juxta hypothesin hæmorrhoides sanguinem *atrabilarium* effundere dicuntur, & lieni
fe-

illius vitiosi sanguinis sequestratio adscribitur: quanquam vero hanc rationem nostram non faciamus, tamen ipsam rem aut *phænomenon* minime negligimus, quin potius ex experientiae testimoniis pro nostro proposito hanc affectuum *splenicorum* mutuam participationem, tam in scorbuto, quam hæmorrhoidali negotio allegamus: & ita etiam ex hisce observationibus, historiam practicam pro suo fundamento agnoscentibus, hunc consensum inter hæmorrhoides & scorbutum confirmamus: illud vero adhuc pro meliori decisione indicamus, ne mox hic consensus præcipiti quodam pruritu, qui juxta hodiernos mores facile in scorbuti accusationem ruit, provocetur, quando forte sine aliis adhuc ad eundem scopum collineantibus observationibus hæmorrhoidarii hypochondriorum aut lumborum doloribus affecti deprehenduntur: cum potius adhuc *plurimum* pathematum & magis magisque scorbuti indolem prodentium, concursum, pro hoc consensu clinicè decidendo urgeamus; interea hoc ordine simpliciore commemoratione illos characteres indicamus, ex quibus consensus talis dijudicari debet.

§. XI.

Hæmorrhoidarii porro multa incommoda & varias anomalias circa *alvinam* excretionem experiuntur, ut videlicet frequentius occlusa & obstructa, aut segnis & irregularis, vel sicca & indurata observetur, unde sæpius cum molesta expressione & dolorifico nisu solvi debet; quæ difficultas *quam diu* etiam durat faciliorem hæmorrhoidum apertionem *haud* promittit, quin magis magisque anomalicos motus hæmorrhoidales sustentat, & contumaces atque refractarios reddit, ex quo etiam facile contingit, ut non modo *primæ regiones* cum impuritatibus diversi generis & variantis efficaciam mucidis, aciescentibus, biliosis, salinis, copiosius onerentur, sed & subinde tota humorum massa cum iisdem inquinetur, ut cacochymicus status prompte superveniat: præterea sub motibus & anomaliis hæmorrhoidalibus infructuosè succedentibus & exeuntibus occurrunt etiam

D

iam

iam illæ abdominis mutationes, ut *durities* quædam insolita & ominosa, illud occupet: prout tale quid etiam foemina, mensium imminutione aut suppressione laborantibus, evenit, sub qua duritie internæ angustationes & dolorificæ tensiones affligunt, quæ durities non modo per plures dies, imo plane per aliquot hebdomadas continuat, sed & per intervalla vel sponte remittit, vel post paulo liberiores alvi successum quantisper cessat, in futurum verò iterum ingruit atque angit: tanto magis vero etiam hæc molestia & invadit & obfirmatur, quo diutius hæmorrhoidales anomalizæ continuant, aut magis magisque exacerbantur & augentur: familiarissimum itidem hæmorrhoidariorum pathema est, molesta & valde angustans, *flatulentia*, quæ non modo frequenter & constanter oritur, sed & ob reliquam alvi stricturam & occlusionem contumacius retinetur, ex quo cruciatus & angustationes augmentantur, dum imprimis in superiores regiones ascendentes ejusmodi flatus cardialgicos effectus post se trahunt: ob id hæmorrhoidarii tenentur, quo *accuratæ* & exquisitæ *diætæ* sese committant, quoniam ex *levi* causa hæc molestia provocatur: hisce phænomenis adhuc annumeramus *Tenesmos*, qui hæmorrhoidarios tales, de quibus nobis propriè sermo est, valde cruciant; & licet paulo propius ad eruptionem hæmorrhoidalem tendere videantur, sæpe tamen sine fructu excurrunt, & aliis hæmorrhoidalibus anomaliis sese jungunt: quemadmodum vero jam de hæmorrhoidibus diximus, quod commemorata pathemata earundem *irregularibus* successibus se commisceant, ita eadem etiam in scorbuti historia observantur: sicut alvi adstrictio jam à *Foresto Lib. XX. Observ. n.* notatur, in quam circumstantiam *Sennertus* ita commentatur: *abus in scorbuticis sæpe adstringitur, ut etiam in aliis melancholicis & hypochondriacis fieri solet &c.* Et licet affectus hæmorrhoidales & hypochondriaci, non ita promiscuè juxta vulgarem morem cum Scorbuto confundi debeant, tamen *authiores* horum affectuum gradus & diuturnus atque *contu-*

max

max status, non modo certius & *acerbius* has afflictiones involvit & continet, sed *per has* etiam tunc demum cum scorbuto consentire, quin magis magisque ad majora scorbuti incrementa, subjecta præparare solet, unde ex hisce etiam pathematibus, hunc hæmorrhoidum cum scorbuto consensum indicare & eruere placuit.

§. XII.

Ad hæmorrhoidales motus sed communiter *irregulares*, & *externos* pertinent porro diversi spasmodici affectus, externum corpus infestantes & moleste detinentes, quin cum multis cruciatibus vexantes, (quo etiam incidenter advertimus) ex quibus, occurrunt *varices* eminus ad hæmorrhoidalem eruptionem spectantes, unde etiam cum aliis molimini- bus hæmorrhoidalibus colludentes, nec non *externas* hæmorrhoides vel *difficiliter* erumpentes, vel plane *suppressas*, excipientes & magis magisque cum anomaliis hæmorrhoidalibus decurrentes, quin cum aliis spasmodicis sive podagricis sive arthriticis sive ischiadicis affectibus communicantes & alternantes: ejusdem indolis sunt *coxendicum dolores*, qui hæmorrhoidariis non infrequentes sunt, quorum etiam à nobis modo mentio facta fuit, qui sicut in *confiniis* locorum hæmorrhoidalium *externorum* occurrunt, ita suam *conspirationem* cum reliquis motibus hæmorrhoidalibus abunde attestantur, ob id ab ejusmodi hæmorrhoidibus *ægrius* exeuntibus magis *exacerbantur*, *commodius* vero erumpentibus & fluentibus evidenter *levantur*: unde iam *Hippocrates* monuit, ut in eiusmodi doloribus inquiramus, an patiens olim *narium hæmorrhagias* an vero *hæmorrhoides* expertus fuerit: sicuti inter alios *Thonerus* & *Zacutus Lusitanus* eandem *collusionem* motuum *ischiadicorum* & reliquorum *hæmorrhoidalium* observarunt: Et hac eadem occasione reminiscimur præterea dolorum *nephriticorum*, qui anomaliis hæmorrhoidalibus maximo jure interdum accenseri merentur: siquidem communio illa inter motus hæmorrhoidales & spasmodicas renum constrictiones neque *difficilioris demonstrationis*, neque

difficilioris conceptus aut comprehensionis est: quin evenit ut molimina hæmorrhoidalia externa loco *directæ* & ultimæ suæ eruptionis, in ejusmodi pathemata nephritica convertantur, & in hisce, omisso *priori* scopo, subsistant; sicuti cum aliis irregularium motuum hæmorrhoidalium successibus non raro nephritici hi cruciatus concurrere solent: denique cum prædictis hisce affectibus in historia moliminum hæmorrhoidalium occurrentibus annotari & commemorari adhuc debent, affectus *arthritici vagi* & inconstantes, cum podagricis, ischiadicis & nephriticis schematibus & doloribus non modo alternantes, sed & si status acerbior fuerit, concurrentes, quippe qui similiter *externum* fluxum hæmorrhoidalem *anomalice* decurrentem stipare solent, eo certius vero quo magis hi anomalici motus vel augentur, five novis anomaliarum speciebus complicantur vel exacerbantur & per diversas atque perversas medicationes atque sinistra regimina offenduntur: quales arthritici affectus vagi in subjectis adhuc junioribus, activioribus & contumacioribus obtingunt, eoque magis hæmorrhoidum negotium aggravant: sicuti vero singula hæc *spasmodica* affectuum genera & schemata *hæmorrhoides* irregulariter succedentes & exeuntes comitantur: ita eadem omnino observantur in *scorbuto* vel initiis, quando ex hæmorrhoidali negotio oritur, vel incremento & complemento, quando aliunde natus est: & quanquam in scorbuto spissior & lentescens magis sanguis varicibus ansam præbeat, negari tamen haud facile potest, quin in hæmorrhoidali negotio, non modo similis sanguinis crassities oriatur, sed de reliquo singulari quodam activo conamine hæmorrhoidum apertio in distitis locis urgeatur: quod vero reliqua dolorum spasmodicorum specimina concernit, tunc eadem admodum frequentia sunt scorbuto: quæ si jam in hæmorrhoidali negotio impeditius decurrente oriuntur, una cum aliis circumstantiis hunc consensum inter hæmorrhoides & scorbutum attestari adjuvant, ita ut in hac historica, præsen-

tis

tis thematis, deductione, una circumstantia alteram illustret et demonstret.

§. XIII.

Quando motus hæmorrhoidales in *graviores* anomalias degenerant, tunc spasmodica sua tormenta *latius* diffundunt, quin interdum in *semi convulsiva* pathemata immutant, cujusmodi schemata occurrunt in affectibus *asthmaticis, cardialgicis, strangulatoriis, œsophagum & stomachum rigidè contractoriis*, nec non circa præcordia, & sub umbilico *succussatoriis*, qui imprimis hypochondriacis & hysteris subjectis sub gravi alvi occlusionem familiares observantur, quando hæc molimina sanguinem promotoria & emotoria invertuntur & sursum abeunt; in quibus afflictionibus vulgo illud horridum & ominosum acidum hypochondriacum, aut vapores stiptici, virulenti, rosivi, adstringentes accusantur: quæ pathemata vero eò magis merentur, quo dextre observentur & concilientur, quia tam trunculenta sunt & subinde tot perplexis & incognitis aut magis imaginariis causis adscribuntur, & ne in medendi methodo alienas causas aggrediamur & affectum adhuc magis corrumpamus: hisce symptomatibus & anomaliarum hæmorrhoidalium connexionibus annumeramus *Ructus* illos molestos & adversos imo etiam nidorosos, qui præter angustantes molestias flatulentas una affligunt, & sub cardialgicis & succussatoriis hypochondriorum atque diaphragmatis commotionibus eliduntur: quales ructus cæteroquin hypochondriacis etiam per quam familiares existunt: neque in hoc nexu *Vomituum* obliviscimur, qui motus hæmorrhoidales anotericos comitantur, & non modo ad faburræ spissioris acescentis & cujuscunque alterius qualitatis excussionem contendunt, sed qui etiam principaliter ad *sanguinis* excretionem per ventriculum respiciunt; quales *insolite viæ hæmorrhoidales*, aut quales vomitus cruenti hæmorrhoidales in praxi medica attentam observationem merentur, cujus circumstantiæ uti quidem passim *Illustris Stablius* mentionem fecit, ita peculiari studio & opera eandem inculcavit

in *Disputatione de motus sanguinis à crasi & viis non-pendenti-
bus vitiis.* Præterea adhuc hoc ordine mentionem facimus
Palpitationis cordis, quæ obfirmatis, immoderatis & inordina-
tis moliminibus hæmorrhoidalibus se jungit & frequenter
angit, unde etiam *hypochoyriacis* familiaris existit, (qui fre-
quentius hæmorrhoidales motus experiuntur) & inter reli-
qua hæctenus recensita pathemata, hæmorrhoidale negotium
familiarius comitatur: quod vero circa horum pathematum
commemorationem de hæmorrhoidali negotio dictum est,
illud etiam valet de *scorbuto*, quemadmodum historia practi-
ca confirmat, quomodo videlicet strangulatoria afflictio, ast-
hmatica constitutio, ructus, appetitus vitia, conatus vom-
bundi, quin actuales vomitus & cordis palpitatio in scorbuto
occurrant: & licet unius rei plures esse possint causæ, attamen
cum eadem pathemata hæmorrhoidali negotio familia-
ria sint, ita ad eadem tam illæ causæ, quæ hæmorrhoidibus
propriæ & primariæ sunt, quam aliæ concurrentes, secunda-
riæ & consequentes, disponere & eo ipso hæmorrhoides cum
scorbuto connectere solent, imprimis quando moliminibus
hæmorrhoidalibus tales causæ superveniunt, quæ ad scorbu-
tum invitandum & sustentandum contribuunt, ex quo
contingit, ut posthac singula hæc pathemata acerbius affli-
gant.

§. XIV.

Inter omnes reliquas circumstantias, quæ consensum
hæmorrhoidum cum scorbuto significant, majoris & *princi-
palioris* dignitatis est hæc consideratio, *essentialiter* magis ad
scorbutum referenda, quod *Ileus* ille *hæmatiticus*, Hippocra-
tis affectus, qui nihil aliud quam colica hæmorrhoidalis est,
evidens testimonium de hoc *consensu* perhibeat: sicut enim
hunc morbum ad distinctionem aliorum ileorum sive volvu-
lorum, *hæmatiticum* sive sanguineum vocavit, ita eundem *ex*
sanguine vel *propter* sanguinem esse, facile colligere est: dum
vero illum, *ileum* vocat, denotat eo ipso *torminosum* affe-
ctum: si itaque juxta hunc simplicem conceptum ileus hæma-
tites

rites est affectus *intestinorum torminosus*, ex sanguine ortum trahens aut *propter sanguinem* susceptus, & subinde *colica hæmorrhoidalis*, quoad has essentielles circumstantias perfectè congruit, ita sine tergiversatione enunciamus, quod *Hippocraticus* ille affectus ad molimina aut *anomalias* hæmorrhoidales spectet: in hoc vero molimine hæmorrhoidali juxta propriam Hippocratis observationem occurrit, *malus odor ex ore*, & quidem ἀπο τῶν ὀδόντων à dentibus, & gingivæ abscedunt, & à naribus sanguis fluit, ex cruribus ulcera pullulant, color niger fit, & hæc singula de hac hæmorrhoidali colica prædicat: unde commemorat hæc singularia pathemata, videlicet *fætores oris*, *gingivarum incommoda* καὶ γὰρ ἔλα ἀφίσαι (quod ἀφίσαι juxta communem acceptionem Hippocratis significat, abscedere, discedere, abscessum facere, ulcerascere, uti *Lib. 5. Epid. Sect. 7.* dicit, quod *cutis ab osse discesserit*, aut sicuti *Libr. de hæmorrh.* de vena hæmorrhoidali dixit, quod corii ustulati instar decidat; & juxta *Foesium* in *Oeconomia* alibi hoc ἀφίσαι de hæmorrhoidali vena in Hippocrate prædicatur) *fluxum sanguinis è naribus, ulcera in cruribus, colorem nigricantem, cutem tenuem*: & hæc omnia quidem phænomena, quasi primario scorbutum denotant & produnt, ut *gingivarum laxitas, intumescencia, pruritus, cruentatio, foetida abscessio, rubor lividus, & faucium magis magisque insolescens foetor admodum adversus, saluginoso cadaverosus, narium hæmorrhagia, quæ ferè nunquam in scorbuti historia omissa deprehenditur, sed ut frequens accidens in scorbuticis allegatur: color nigricans, qui partim de pallido in fuscum vergente vel livido faciei colore vel de maculis scorbuticis prædicari potest, quæ purpureæ, sublividæ, nigricantis coloris esse vulgo conspiciuntur: ulcera denique an in scorbuticis occurrant satis superque experientia edocet; unde parallelum locum Hippocrates *Libr. de intern. effect.* habet, quando dicit, *qui splenem magnum habent, siquidem biliosi sunt, mali coloris sunt & malis ulceribus scatent*: vulgo vero in eo consentiunt practici, quod scor-*

bu-

buticorum ulcera peculiari malignitate prædita sint, uti notante Sennerto præprimis circa ulcera hæc exponenda Reusnerus, Evgaleus, Ronssseus, Ægineta, occupati fuerant: & dum singula hæc perpendimus, non habemus quo in hisce circumstantiis de hoc consensu inter hæmorrhoides & scorbutum valdè dubitemus, quippe quæ phænomena, omnia reliqua illustrant, quæ hæctenus ad præsentem consensum indicandum & demonstrandum commemorata fuerant: modo hoc loco illa discretio notetur, quod prædicta hæc symptomata, non nisi obfirmatis talibus moliminibus & diuturnis contumacibus anomaliis supervenire soleant; ni in subjecto ob rationem temperamenti, vitæ generis & diætæ, humorum dyscrasia facilius & citius ingruat.

§ XV.

Quanquam hæctenus diversa phænomena indicaverimus ex quibus consensum hæmorrhoidum cum scorbuto notavimus, attamen horum adhuc plura supersunt, in quibus recensendis brevitati studere placet: occurrunt itaque in negotio & molimine hæmorrhoidali, diversa *Urinæ vitia*, & quidem interdum *difficilis Urinæ excretio*, aliquando *stranguriæ* molestæ, nonnunquam *ardor Urinæ*, ipsa *Urina* effluit aliquando *turbida* imo *lutosa* & cum *fabulo* remixta, *rutilans* aut *lateritia*: ex hæmorrhoidibus contumacius subsistentibus oriuntur quandoque affectus *hypochoondriaci* & *melancholici* cum *delirio melancholico* conjuncti: quemadmodum etiam *Hippocrates Sect. 6. aph. 21.* hæmorrhoides fluentes ad insaniam curam commendat: proinde motibus hæmorrhoidalibus anomalicè decurrentibus junguntur, nonnunquam *Tumores pedum oedematosi*: quemadmodum mensium imminutiones aut plenariæ suppressiones, similes pedum tumores inferunt, ita ut rarum non sit, post hæmorrhagiarum catotericarum suppressionem oedemata talia observare: quid quod ex attenta experientia constat, quomodo motus hæmorrhoidales post suppressionem fluxus conti-

nu-

nuantes, cum *ictericis* deformationibus combinati fuerint; ut superfluum nobis videatur, diffusiora practicum testimonia, hoc loco de hoc phænomeno conquirere et allegare: neque rarum est, sub moliminibus hæmorrhoidalibus, molestas sanguinis incalcescentias sive *phlogoses* experiri, quæ cum *cordis palpitatione* alternant & anomalias hæmorrhoidales augent & aggravant: quid quod contingit interdum sub difficili motuum hæmorrhoidalium eruptione, ut loco sinceri & sufficientis fluxus sanguinei non nisi vestigia quædam *sanguinolenta & loturam carniū* referentis excretionis occurrant, licet acerbius & immoderatus motus spasmodici hæmorrhoidales continuent: ita præterea singularis observatio est, quando motibus diuturnis & contumacibus hæmorrhoidalibus sive torminosis colicis sive aliis internis spasmodicis, sine ullo emolumento & levamine determinatis, quin potius partim per animi pathemata, partim per incongrua regimina, diætæ vitia & mala medicamina exacerbatis, moderata *Paralysis* sive *Paresis* supervenit. Et hæc singula pathemata quæ negotio hæmorrhoidali sese commiscant, observantur etiam in *Scorbuto*, licet propterea non indiscretim scorbutus pro hæmorrhoidum molimine, neque hoc pro illo æstimari debeat; quin potius providè attendendum sit, quo ordine atque gradu prædicta pathemata motibus hæmorrhoidalibus accidant & per quæ alia adhuc scorbutum prodentia signa confirmantur, ne scorbuti appellatio nimis late extendatur, sed ad principaliores suas circumstantias restringatur: illud interim repetito monemus & notamus, quomodo hæc secundaria signa aut *accidentalia* scorbuti pathemata, reliqua principalia & *essentialia* illustrent & confirment: quando vero minus principalia talia signa inter reliqua hæcenus recensita hæmorrhoidalibus motibus junguntur, non integrum est *promiscuè* scorbutum accusare, ut ut propensio quædam in eundem adsit: interim totus hic conspectus ad historiam practicam præcipue directus comprobatur assertum nostrum,

E

per

per quæ videlicet phænomena hæmorrhoides suum consensum cum scorbuto commonstrent.

§. XVI.

Restat ut adhuc hoc ordine quædam ad *Prognosticam* præsentis thematis tractationem adjiciamus, in quo conamine *duplex* pensitatio erit commendanda & instituenda: primo cujus *indolis* sint *hæmorrhoides*, quando cum *scorbuto* consentiunt: deinde quid de *scorbuto* sentiendum & expectandum sit, quando cum motibus hæmorrhoidalibus *complicatur*: quoad *primam* animadversionem in genere de *hæmorrhoidibus* cum scorbuto consentientibus notandum est, quod iminorigeræ, contumacis & *refractariæ* indolis existant juxta quam non modo raro aut *difficillime* ad liberum fluxum promoveri possunt, sed in longe magis *intricatum* & complicatum statum degenerant; exinde motus hæmorrhoidales inconstantes, vagabundi & irregulares redduntur, à locis hæmorrhoidalibus magis discedunt, partes superiores acerbius affligunt: per consequens talis status hæmorrhoidalis curatu difficilior est & variis indicationibus therapeutiis formandis ansam præbet: & ut in genere morbi *complicati* aut compositi gravitate & *intractabilitate* i. e. pertinacia sua simplices superant, ita etiam motus hæmorrhoidales cum scorbuto nunc consentientes eandem censuram promerentur, quid quod evenit ut successivè conspectus ille hæmorrhoidalis magis à suo primo genio discedat, & in scorbuti campum magis magisque conscendat & concurrentibus diætæ, regiminis & artis erroribus, à primo scopo contumacius degeneret: & si contingit ut per omnes prædictas circumstantias hæmorrhoides cum scorbuto consentire non videantur, tamen in futurum accumulatur & gradu, & numero & specie, symptomata illa, ut per moram malum fiat majus, & gravius: si vero motus hæmorrhoidales jam actu cum scorbuto colludentes erumpunt & tempestivè hæmorrhoides *effundunt*, in genere *melioris* notæ est status, ita quidem ut vel anomalix hæ-

hæmorrhoidales paulo facilius *mitigari*, vel simul scorbuticus ille concursus paulo melius & certius *extirpari* queat: si vero *serius* hæmorrhoides fluere contingit, emolumentum quoddam singulare exinde haud facile promittendum & sperandum erit: licet adhuc singulari observatione notandum sit, quomodo sub tali consensu hæmorrhoidum cum scorbuto circa hæmorrhoidum eruptionem atque perfectum fluxum plus de *naturæ* spontanea operatione, quam de *artis* potestate sperari possit debeatque: si mox *per initia* motus hæmorrhoidales in consensum talem cum scorbuto inclinant, *deterioris* indolis est status & affectus in acerbiores & *vehementiores* progressus repentinos transit: quo *lentius* vero in hunc affectum transcendunt molimina hæmorrhoidalia, eo magis arti patet occasio, causas quasdam *præoccupandi*, quæ vel irregularitates hæmorrhoidum fovere vel scorbuti concursui favere possunt: quo magis in tali hæmorrhoidum statu *gingivæ* affliguntur, & *maculæ* purpureæ & lividæ efflorescunt, eo firmiores radices egit concursus scorbuti: eoque minus de eodem in negotio hæmorrhoidali dubitare decet. Quod vero alteram observationem attinet, videlicet quid de *scorbuto* sentiendum sit, quando cum motibus *hæmorrhoidalibus combinatur*, tunc quidem illa directe ad præsentem scopum non spectat, brevibus vero indicamus, quod ille concursus *primarium* affectum reddat *immoderatiorem* & acerbio-rem, imprimis cum ægrius contingat, ut hæmorrhoides *iuste* erumpant: si vero maturè erumpunt & legitimè etiam succedunt scorbuto non leve commodum conciliant.

§. XVII.

Quemadmodum hucusque hunc consensum hæmorrhoidum cum scorbuto quoad historiam suam delineavimus & per diversa phænomena inculcavimus, ita series tractationis nostræ postulabit, quo *pathologicum* siue *etiologicum* conspectum de consensu tali exhibeamus, in quo conamine expedi- et primo loco *generalia* quædam tum de *hæmorrhoidali* nego- tio, tum de *scorbuto* præfari: dum vero de motibus hæmor-

rhoidalibus *molientibus* sive per diversos *gradus* & in diversis *locis* eluctantibus differimus, ita una comprehendimus partim ipsos illos *motus*, partim eorundem diversos *effectus*, varias *consecutiones* & non nulla *accidentia*: *motus* sunt communiter *spasmodici*, *strictorii*, *tractorii*, *tensorii*, & *torminosi*, qui sub multiplici partium diversarum compressione & constrictione, sanguinis *superflui promotionem* & *emotionem* prosequuntur, quid quod interdum sanguini ad evacuationem commodiorem præparando & *fluidificando* ita adhibentur, ut subordinatæ intentiones & *vicariæ* aut sibi invicem subservientes commotiones in hoc negotio observari possint: *effectus* horum motuum consistunt in humorum *impulsibus* & particularibus restrictionibus & coacervationibus aut *congestionibus*, quin interdum in universalibus turgefactoriis & *oppletoriis* commotionibus, quæ licet adeo *directè* & *proximè* ad *effundendas* hæmorrhoides non pertingant aut pertineant, tamen in genere eo *intentæ* & *prævisæ* sunt: proinde ad eosdem effectus accenseri debent, *excretiones* diversæ, quæ in molimine hæmorrhoidali occurrunt, maxime vero in *insolitis* viis & locis: quarum quædam sunt merè *sanguineæ*, quædam *mixtæ* & *sanguinolentæ*, quædam vero plane *aliæ*, priorum tamen *vices* supplentes & præsentantes, licet quoad *materiam* discrepent: sicuti in pathologia practica singularem attentionem meretur ille *metaschematismus* contentionum et intentionum *sanguinearum* in effectus & eventus *serosos*: quod denique *consecutiones* & *accidentia* diversa concernit, tunc variæ horum species occurrunt, ut humorum *stagnationes*, *restagnationes*, *occlusiones*, *depravationes* aut ita dictæ *dyscrasie*, partium *oppletiones*, *infarctus* *indurationes*, aliarum *ordinariarum* & *necessariarum* excretionum perturbations, *imminutiones* aut *suppressiones*, legitimi reliquorum motuum vitalium *successus* impedimenta & alterationes, aut denique necessariorum motuum plenariæ *omissiones* & *abolitiones*, vel actuales *corruptiones* & humorum atque partium *depravationes*: ex quo facile liquet, quam multiplex sit molimi-

mi-

minum hæmorrhoidalium disquisitio. Quod vero jam ad genericum *scorbuti* conceptum & conspectum attinet, tunc notandum & tenendum est, quod in eodem imprimis *sanguis* primariam, inter fluidas, partem affectam constituat, qui & *quantitate* & *qualitate* valde vitiatus occurrit: quoad quantitatem communiter in scorbuticis *abundat*: unde hæmorrhagiæ in Scorbuto non modo observantur sed & si *tempestivè* & simul è *congruis* locis proveniunt salutare esse deprehenduntur: quo loco vero minimè cum illis consentimus, qui hæmorrhagias tales non plenitudini sed *acrimonie* sanguinis, adeoque erosionis effectui absolutè adscribere malunt: qui tamen perpendere possint, debeantque, quomodo eadem potestate & facilitate sanguis *internas* teneras partes erodere & *introrsum* extravasare, adeoque absolute perniciosum effectum introducere possit: deinde etiam sanguis in *qualitate* tam quoad *consistentiam*, quam quoad *crasim* vitiatus est: in *consistentia* non modo generica crassitie, sed & speciali *lentescente* spissitudine laborat; quoad *crasim*, cum fero fluido diluente aquoso non congruè *subactus*, sed simul cum multo *acri* fero inquinatus est: ex quibus alterationibus varia nocumenta in scorbuto obvia, oriuntur.

§. XVIII.

Iam vero perquirere placet an molimina *hæmorrhoidalia* illud continere & *acquirere* possint & soleant, per quod eum *scorbuto* deinde *coherere* & consistere queant: & quidem an sanguinis ubertatem sive *abundantem* plenitudinem comparare, an *spissitudinem* illius conciliare, an malam sanguinis *mixturem* suscipere & an ferum *acre* coacervare possint: loquimur vero de tali negotio hæmorrhoidali, uti sæpe monuimus, in quantum vel perturbatum est vel impeditius ad successum suum pertingit vel eminus & in aliis locis eo contendit: quod vero hæmorrhoides *primario* suo respectu sanguinis *abundantiam* concernant, integra earundem *Historia* attestatur: per hæmorrhoides enim communiter sanguis *sincerus* effunditur & hic fluxus *legitimè* succedens omni-

mnino *salutaris* est, propterea salubritatem suam exferit, quia quantitatem sanguinis superfluam imminuit; est vero hic fluxus æque salutaris, siue sanguis aliquo modo nigricans, siue floridior excernatur, unde non tam craseos, quam *quantitatis* ratio habenda erit: obsoleta enim est traditio, quod hæmorrhoides sanguinem *atrabilarium* tantum & pravæ mixtionis eliminant, id quod non nisi per *accidens* contingit; si itaque hæmorrhoides supprimuntur, eo ipso reliqua sanguinis quantitas in corpore coacervatur, ob quam *plenitudinem*, præcipuè hic actus antea suscipitur: & quotiescunque motus hæmorrhoidales occurrunt, toties hanc molestam sanguinis abundantiam prosequuntur, ni *habituale* quoddam vitium intercedat, quod interdum rationem *urgentis* superfluæ quantitatis transgreditur: & licet nonnunquam contigerit, ut hæmorrhoides nunquam ad sincerum *fluxum* pertigerint, tamen *motus* illi spasmodici & congestorii eandem molestam quantitatem respexerunt, aut eandem sub schemate hæmorrhoidalium contentionum, quaeversum impellunt, quo *alicubi* eruptio oriatur, adeoque scopus ille profundendarum hæmorrhoidum obtineatur: & modo simplices sensus & observationes aut conspectus à præjudicio liberi conferantur, facile liquebit, quod plurimi tales *hæmorrhoidarii*, i. e. motibus hæmorrhoidalibus affecti, *plethorici* existant; ubi non æque ad floridum externum *aspectum*, quam *vasorum* plenitudinem, diætam *largam* & minus *mobile* vitæ genus, animus dirigendus erit: quo adhuc referenda est illa observatio, quomodo subjecta hæmorrhoidum *suppressione* laborantia, non raro *similia* pathemata experiantur, de quibus femellæ *mensium* suppressione laborantes conqueruntur, uti illud phænomenon etiam inter alios annotavit *Bartholinus Act. Hassn. Vol. 3. obs. 18.*; ex quo elucescit, quod ejusmodi subjecta propter *retentum* sanguinem ægrotent, qui iterum emissus & *evacuatus* pristinas afflictiones *levat* & tollit; imprimis vero hæc sanguinis plenitudo *illas partes* atque regiones aggravat & opplet, quæ
per

per hæmorrhoidum fluxum vel ventilatæ sunt vel ventilari debent, uti sunt *hypochondria*, abdomen & conspiratio *Vene Portæ*, qui locus vulgo sub *primarum regionum* nomine venit, licet propterea reliquum corpus non excludatur, in quod eadem aggravatio *redundat* & quod per liberum hæmorrhoidum fluxum non parum sublevatur & in gravativa, oppletiva & delassatoria molestia ad sensum mitigatur; unde in observationibus veterum deprehenditur, quomodo in *illis affectibus*, quos cum hæmorrhoidibus *consentire* dicimus, retrospexerint vel ad *narium hæmorrhagias*, vel ad hæmorrhoidum fluxum, cum qua sanguinis evacuatione ejusmodi morbos combinare intenderant: ex quibus singulis animadversionibus inferimus, quomodo primarius hic respectus sit, in hæmorrhoidum suppressione, & motibus hæmorrhoidalibus, quod sanguis *abundet*.

§. XIX.

Et quid familiarius quidve certius est, quam ut cum moliminibus hæmorrhoidalibus *spissitudo* sanguinis concurrat, siquidem inter hæmorrhoidum *suppressiones* & *hypochondriacum* affectum, cujus principalis causa hæc *spissitudo* sanguinis est, per frequens *communio* intercedit: quod vero *plenitudo* sanguinis, *spissitudini* illius introducendæ quadret, ex diversis evidentibus rationibus & documentis demonstrari posset; cum vero hi motus hæmorrhoidales de quibus in præsentiarum nobis sermo est, illam sanguinis abundantiam involvant, ita ob diversas alias concurrentes circumstantias *spissitudo* facile sanguini *superfluo* accidit: & cum iam imprimis *abdominis* viscera *nimio* sanguine obruantur, in *Vena Portæ* vero communiter sanguis *spissior* observetur, ita tanto magis hæc crassities sanguinis *hæc loca* molestat, ex quibus diversæ aliæ *spissiores* recrementitiæ materiæ eidem iterum commiscuntur, ut undique qualitas illius lædatur & alteretur: Et ex hac *immobiliori* & *intractabiliori* sanguinis consistentia, *motibus* hæmorrhoidalibus non exiguum *impedimentum* supervenit, quo minus tempestivè, sufficienter aut efficaciter sanguinem hæ-

hæ-

hæmorrhoidalem *eructare* queant, unde sæpius illius *promotioni*, ne in periculofam *stasim* delabatur, prospicere debent, ex eo motus illi *spasmodici*, constrictorii, vasa & vias compressorii, sanguinis progressum per *hypochoondria* adjuvantes, observantur: & hæc ominosa sanguinis *spiffitudo* in *scorbuto* illa causa objectiva & impulsiva est, quò inter alios concursus, tam spasmodica illa hypochoondriaca pathemata, quam etiam in *externis* regionibus spasmi illi per diversas regiones administrantur, ne sanguis ob spiffitudinem suam in *stasim* & *obstructionem* pronus, denique *actu* in eandem delabatur, & *putridam* corruptelam causetur, cui præoccupandæ plane *rationabiliter* hi motus spasmodici oppositi sunt: & quo magis sub reliquis anomaliis hæmorrhoidalibus, *excretiones* ordinariæ vel retardantur vel impediuntur, maximè vero *alvinæ*, eo magis spiffior & *inspiffans* mucus retinetur, atque successivè *sanguini*, per primas vias transfluenti, commiscetur, ut non modo *genericam* quandam, & vulgarem, aut sanguini propriam *crassitiem* massa sanguinea concipiat, sed *specialis* illa mucida lentescens spiffitudo sanguinis exinde oriatur, quæ in *scorbuto* observatur, & per quam hic affectus ab aliis morbis, spiffitudine sanguinis nitentibus, distingvitur: haud vero aliter sub illis spasmodicis constrictoriis commotionibus *per abdomen* plurimum vagantibus contingere potest, nisi ut plurimum etiam *alvina* excretio turbetur, & impediatur & perinevitabilem consequentiam, recrementitiæ materiæ, & *vis* & *humoribus* communicentur: hæc ipsa vero sanguinis crassities eo magis quadrat ad fovendas & introducendas diversas *stagnationes*, oppletiones, infarctus, indurationes, efflorescentias & corruptelas, tam in negotio hæmorrhoidali, quam in *scorbuto*, quibus effectibus ea propter illa motuum spasticorum specimina, uti modo diximus, *opponuntur*, quemadmodum pro generico adjumento *progressus* sanguinis, ob hanc spiffitudinem nunc difficilioris, per intervalla motus cordis & impulsus sanguinis augetur, unde tam in hæmorrhoidalibus moliminibus, quam in *scorbuto*, cordis palpitatione

tio

tio concurrat, quam ipsam prædictæ magis casuæ, quam ro-
sivæ stimulationi cordis adsignare malimus: concludentes à
maiori ad minus: si acrimonia tantum in corde efficeret,
quid non efficiat in nervosis, tenerioribus, membranaceis par-
tibus &c. non vero nobis hæc consideratio adeo digna vide-
tur, ut eidem multum & diu immoremur.

§. XX.

Proximum est ut dispiciamus an sub ejusmodi conati-
bus, moliminibus aut anomaliis hæmorrhoidalibus, sanguis
aliquam *dyscrasiam* concipere possit atque soleat, ex qua pro-
ximè ad scorbuticum statum concludere, hujusque consen-
sum commonstrare queamus: si vero *ingenere* sanguinis su-
perflua quantitas, pro *vitiōsa* humorum qualitate introdu-
cenda satisfacit, ita ad specialem considerationem facile argu-
mentari licebit, dum per hæmorrhoidum retentionem, aut
sub motibus hæmorrhoidalibus, plurimum abundantia san-
guinis molesta incidit, quæ ob diversas rationes tum impe-
ditioris & segnioris *progressus*, tum insufficientis impurita-
tum *secretionis* ejusmodi *cacosin* concipit, & præter spissitu-
dinem conjunctam, quæ *consistentiam* attinet, adhuc *mixtio-
nis* depravationem induit: ex qua generaliori & abstracti-
va animadversione omnino probamus & inculcamus, quod
cum hæmorrhoidum negotio talis deterioratio massæ sangui-
næ concurrere queat: non quidem placet obsoletis & ali-
quoties allegatis traditionibus indulgere, quasi motus *hæmor-
rhoidales* maxime versentur circa sanguinem *impurum* eve-
hendum, quin potius contrario quodam ordine asseveramus,
quod hæmorrhoides vel difficiliter succedentes vel restitan-
tes, vel eminens molientes demum talem humorum pravita-
tem, causari & *introducere* soleant: siquidem sub omni san-
guinis *dyscrasia* valde difficulter hæmorrhoides *erumpunt*,
unde antiquiores non ita facile hæmorrhoides *libere* flu-
entes cum prava & *atrabilaria* sua sanguinis qualitate conci-
liare potuerunt, sed ex nuda quadam persuasione & antiqua-
ta opinione crediderunt, quod per hæmorrhoides simul san-
F gvis

gvis *feculentus* & impurus excernatur, licet genuina hæmorrhoidum historia constanter attestetur, quod hæmorrhoides *difficiliter* & parcius erumpentes, ut plurimum *spissum* sanguinem effundant, *facilius* verò citius & liberius euctantes, *fluidum* & *floridum* sanguinem excernant: quo vero paulo propius hoc assertum commonstremus, observationi commendamus, quomodo sanguis per viscera *abdominis* ægrius progrediens & ob plenitudinem atque spissitudinem suam impeditius transfluens, non modo necessarias *abstersiones* & sequestrationes *heterogeneitatum* salinarum, biliosarum, mucidarum, acescentium similiumque vel sufflaminet vel confundat, ut eo ipso præsentis & quasi domesticæ & *inquilinæ* impuritates, tam in humoribus permaneant, quam diversis visceribus inhæreant, denuoque sanguini immisceantur: quicquid per cibum & potum ab extrâ successivè corpori accedit, & peracta concoctione cum chylo primis regionibus advehitur, id ipsum sub impedito illo abstersionis & secretionis effectu similiter in visceribus obhærescit, & sanguini transfluenti insinuatur: quemadmodum multiplicibus testimoniis & phænomenis commonstrari potest, quæ citra plethoricum statum ex *primis* hinc *regionibus* multæ sordes *diversæ* indolis in *sanguinem* resorbeantur: tanto magis vero tale quid contingit, quando ob nimiam sanguinis quantitatem & concurrentem hujus spissitudinem, non modo *organa* colatoria opplentur, infarciuntur, *distenduntur*, & in *tonica* sua energia enervantur, sed & quando per has regiones atque partes *tardius* & impeditius transfluens sanguis adhærentes suas recrementitias substantias, neque ita facile neque sufficienter dimittit, vel quando denique sub reliquis conatibus promotioni, propressioni & emotioni sanguinis indulgentibus, hoc officium secernendarum impuritatum negligentius tractatur, cum ob impeditam aut sufflaminatam aliquamdiu talem secretionem & excretionem homines non ita citò pereant, quam si in visceribus, sanguinis com meatui & affluxui patentibus, hic sanguis in *stasin* delabatur, ex qua non nisi putridus &

&

& putidus eventus sub certis circumstantiis extimescendus est, nimirum *sphacelatio*: qualis stasis vero maximo jure metuenda est, si sanguis non modo per abdomen & ominosam atque intricatam *Venam Portæ*, ut multorum malorum portam, copiosius progredi debet, sed & unà suspecta & adversa illa spissitudine laborat, quæ proximius occlusoriis illis eventibus subjacet.

§. XXI.

Quo magis primarum viarum *repurgationes* deficiunt aut imminuuntur, imo quo magis in iisdem *recrementitiæ* materiæ salinæ, mucidæ, biliosæ, fæculentæ, acedentes colliguntur & coacervantur, ut & quo magis *dieta* crassa & irregularis aut qualiscunque *intemperantia*, quæ subjectis hæmorrhoidum anomaliis laborantibus non infrequens est, conjungitur, & quo magis deinde viscera abdominis per motus *spasmodicos* diversi gradus affliguntur, eo magis hæc *impuritas* materialis *transfluenti* sanguini communicatur: unde *Hippocrates* tam singulares consecutiones sui *volvuli sanguinei* sive *ilei hæmatitis* commemorat, sub quibus torminosis intestinorum & connexarum glandularum partium commotionibus non exigua pars heterogeneitatum, salino-biliosarum sanguini infunditur, ut exinde major & magis discreta sanguinis *depravatio* oriatur, quam si sine ejusmodi spasmodicis commotionibus talis saburra tardius & remissius massæ sanguinæ sese commisceret, aut in visceribus abdominis delitesceret: quo diutius porro tanta colluvies impuritatis materialis ob difficilem & insufficientem se & excretionem & ob reliquam sanguinis spissitudinem in massa sanguinea *detinetur*, & ex primis viis magis *augetur* atque sustentatur, eo certius successive *acriorem* qualitatem suscipit, & in *scorbuticam* illam indolem magis degenerat, dum sub singulis hisce circumstantiis, quando una alteram adjuvat, exigit & excitat, dyscrasia talis salina augetur, & à *vulgari* cacochymia discernitur: quo ipso unà reliqua, jam vario modo depravata mixtio, magis mutatur & deterioratur, ut à sanguine spissiori hæc recrementa

ta serosa acria, *seorsim* quasi secedant, & cum reliquo suo vehiculo aquoso diluente sanguinem spissum nihil fluidificent, adeoque perverfam feri *subactionem* cum sanguine conspiciendam præbeant, utpote quæ labes in scorbutico malo *essentialis* est: ut nihil dicamus de illa constanti *domestica* genealogia heterogeneitatum, quæ sub qualicumque motuum vitalium *successu* contingit, proptereaque reliquam *cacosin* humorum nutrit quasi atque fovet: quam posteriorem feri genesin *ex sanguine* aliqua parte adiuvant *spasmi* reliqui in externo corpore occurrentes & affectus arthritici, ischiadici, nephritici &c. quippe qui sub efficaciore sanguinis *transpressione* intra fibras carnosas, constanter aliquid de sanguine divellunt & *dissolvunt*, unde sudor & Urina ita affectorum communiter acrior & saturatior existit: contribuit huc etiam *palpitatio cordis*, quæ impetuosa sua *impressionem* aut impulsione sanguinis intra partes, non potest non quin sanguinem aliquo modo & aliqua quantitate è mixtione sua in serum salinum convertat: ob id mitiores motus hæmorrhoidales, vel fluxum hæmorrhoidum urgentes, vel suppressas hæmorrhoides excipientes, non exiguis sed valde frequentibus exemplis ad affectus *serosos* diversæ speciei, videlicet cachecticos, asciticos, oedematofos, asthmaticos & similes contribuunt: quo loco adhuc reminiscimur illorum vitiorum, quæ sub anomaliis hæmorrhoidalibus *digestionem ciborum* comitari solent; unde contingit ut *sapida* subjecta, quæ *salinæ* indolis sunt, neque rectè subigantur, neque congruè separentur, sed cum crudiori chylo primis viis infundantur, & ex iisdem sanguini copiosius ingerantur; cum quo crudiori chylo, non modo materiæ spissæ & lentescentes ad scorbuticam illam sanguinis lentescentem spissitudinem contribuentes, largius advehuntur sed & simul reliquæ salinæ, diversæ efficacix, substantiæ communicantur.

§. XXII.

Quando singulas has pathologicas considerationes jam conciliamus, facilè liquebunt *fundamenta* illorum phænomeno-

me-

menorum, quæ *consensum* inter hæmorrhoides & scorbutum attestantur; quo loco denuo commendamus attentam *motuum* hæmorrhoidalium observationem, qui dum vel per spasmos vel alias evagationes exitum quærunt, aut in insolitis locis, viis & regionibus enituntur, nec non per internam & externam corporis regionem eluctantur, diversos effectus & varias consecutiones una inferunt, ex quibus tam scorbuto aliquo modo *via* sternitur, quo ingruat, quam *nutrimentum* quoddam congruum præbetur, per quod magis magisque increbescit: & licet eiusmodi phænomena ambigua esse videantur, quæ partim ad hæmorrhoidale negotium inclinant, partim pro scorbuto introducendo & constituendo inserviunt, tamen iusta collatio & conciliatio causarum & dependentiæ earundem aut mutuæ connexionis facile ipsum illum consensum in pathologica disquisitione confirmabit: & propterea in memoriam revocandæ erunt hæ animadversiones historico-pathologicæ; quid videlicet ex suppressis vel remanentibus hæmorrhagiis salutaribus oriatur? an plenitudo sanguinis contribuat ad spissitudinem ejusdem? an *plenitudo* & *spissitudo* sanguinis quicquam conferant ad ulteriorem humorum *depravationem*, an *molimina* hæmorrhagica sub tali sanguinis constitutione facile & libere succedant & suum *scopum* assequantur: an *irregulares* motus hæmorrhagici, non modo ordinarias *se- & excretiones* turbent, sed & massæ sanguinæ *crasin* & *consistentiam* magis alterent: annon ex ejusmodi inordinatis et exacerbatis motibus hæmorrhagicis, diversis *viis* atque *partibus* variæ molestiæ, imprimis humorum *transitum* & *functionem secretoriam* & *depuratoriam* concernentes, superveniant: an vitiata sanguinis *qualitas* quicquam libero *progressui* & partium integritati præjudicet, aut ad diversas *corruptiones* & *efflorescentias* superficiales magis contribuat: an non motus qui in uno aut altero loco *diu multumque* aut sub magna molestia vel *promotionem* vel *emotionem* vel *deurationem* sanguinis profecuti sunt, sed hætenus cum *frustraneo* conamine processerunt, denique plane *cessent* & *defectiva*

vitia caufentur, licet antehac in *exceffivo* gradu fubftiterint; an non motus excretorii, qui in uno loco *fruftra* molefti obiecti exonerationem inquisiverunt, *ad alia loca* excretoria vel excretionibus parallela delabi poffint foleantque: an non iidem motus adhuc *continuent*, licet maffæ fanguineæ jam actualis *dyscrasia* & quidem ex eadem caufa, quæ hos motus invitavit, accefferit: an non ipfa illa *dyscrasia* præter reliquas impulſivas & occasionales caufas sæpe ad *excretorios* motus contribuât, loquimur vero imprimis de ſpiffitudine moleſta fanguinis, quæ ad vitiatam fanguinis quantitatem referri meretur: ſicuti etiam in ſcorbutica labe actualis fanguinis *acrimonia* ad diverfos motus *excretorios* concurrir: an non in complicatione aut concurſu talium reſpectuum, una caufa occurrens alteram eo facilius *urbeat*, impellat, augeat & acceleret, quia tanta caufarum *multitudo* & conſtitutionis perversæ in corpore humano *complicatio* adefit, adeoque in tali affectus ſyſtematè ſymptomata etiam *augeantur*: an non omnibus hiſce conſiderationibus & *plenitudo* & *ſpiffitudo* & *ſpecialis* humorum *depravatio* ſatisfacere poſſit & conveniat: ex quibus propterea ſuccincta hac commemoratione totum pathologicum conſpectum ducimus, cujus tantum *fundamenta* in præſentis thematis explicatione ſubminiſtrare conſtituimus: unde quilibet juxta has noſtras animadverſiones ſpecialiores hujus conſenſus deductiones cauſales formare poterit.

§. XXIII.

Supereſt ut adhuc brevibus ſignificemus quomodo hic conſenſus hæmorrhoidum cum Scorbuto *practicè* tractandus fit: in hac vero Therapia ordine primo *privativam* medendi methodum exponemus, indicantes, quid in complicato tali affectu *noceat*: deinde etiam *poſitivam* methodum explicabimus, quid in illo conſenſu juxta regulas rationis & experientię *ſalubre* & neceſſarium exiſtat: nocent vero in tali affectu, omnes *immoderate* commotiones & evacuationes, & propterea quidem, quia modo in ipſo affectu diverſæ *exceſſive* commotiones tonicæ, nimirum ſpaſmodicæ occurrunt, quæ
qua-

qualibuscunque *impulsibus* auscultant, & longè immodestiores evadunt, atque in futurum immorigeram & refractariam indolem induunt & concipiunt: deinde quia humores *spissiores* & partes *oppletæ* impetuofas tales commotiones ægerri-
mè perferunt, ni exinde graviores viscerum *infarctus*, *stagnationes* aut plenariæ *Stases* expectari & metui debeant: quare inopportuna, promiscua & vehementiora *vomitória* impro-
bamus: eo minus vero hæc in ordinaria hujus hæmorrhoida-
lis negotii cura admittimus, quia motus hæmorrhoidales à *ju-
stis locis* & inferioribus regionibus magis *seducunt*, & ad con-
finia *ventriculi*, nimirum splenem aut hepar, vel in ipsum ven-
triculum transferunt, ut affectus graviores hepatici, spleneti-
ci, cardialgici, strangulatorii, hæmato-emetici & similes super-
veniant, adeoque anomalias hæmorrhoidales augeant & con-
firmant: ut nihil dicamus de illa circumstantia, quomodo in-
congrua talis evacuatio ordinariis evacuationibus per inferi-
ora succedentibus non parum præjudicet, alvum magis adstri-
ctam & segnem reddat, & ita ad recrementorum *retentionem*
contribuat, proinde quomodo molestiam flatulentia ex *infe-
rioribus* regionibus in *superiores* cum periculo & pernicie
transferat & affectum longe acerbiorum & importuniorem
reddat; testabitur propterea attenta experientia, quid vomit-
oria in Ileo hæmatite sive colica hæmorrhoidali efficiant: re-
probamus porro *positivas catharses*, quæ communiter cum
stimulo partes afficiunt & operantur, & ita *regiones* quæ semel
in insolentiori & immoderatori motu constitutæ sunt, magis
provocant & offendunt: *sudorifera* vulgo sic dicta, licet pro-
fero acriori evacuando ordinari queant, tamen si cum magno
& multo humorum *impulsu* operantur, excidunt è nostra
commendatione, quoniam præter genericam hanc vehe-
mentiore commotionem, motus hæmorrhoidales à vero
successu magis *divertunt* & dispergunt: neque etiam *positive*
diuretica admittimus, quæ vias urinarias sensibilius stimulant
& partim in iisdem *contrarias* spasmodicas commotiones ex-
citant, partim ad easdem *insolentiores* humorum *congestiones*

pro-

provocant: interea vero etiam *negligentiores* alvi promotiones, primarum regionum absterfiones, transpirationis peripheriæ continuationes, in hoc negotio non parum nocent, unde in hisce evacuationibus suscipiendis exquisitum *moderamen* necessarium erit: *Sanguinis missiones* indiscretæ non modo nihil juvant, sed & eo certius nocent; loquimur vero de subtractione sanguinis quæ incongruo *tempore*, quando videlicet omnia pathemata in maximo suo *vigore & rigore* sunt, ex incongruo *loco*, nimirum in *superioribus* regionibus, incongruo *modo* scilicet per scarificationem, incongrua *quantitate*, nempe pauca & exigua aut enormi, incongrua *methodo*, & enchirisi, nimirum ex angusta apertura suscipitur: Dissuademus ab omnibus remediis *calefacientibus, volatilibus, acrioribus*, humores valde impellentibus, concentratis, maxime vero à liberali & indifferenti eorum usu: reiicimus *adstringentia* martialia vulgata, (quibus frustra virtus aperitiva adscribitur,) nec non reliqua intempestivè ordinari solita, ut & *refrigerantia, incrassantia, opiata*, terrea vel crassiora, vel multa quantitate & frequenti repetitione adhibita: excludimus *immoderatas* hæmorrhoidum provocationes, sive ab intra sive ab extra susceptas: absint tum *animi* tum *corporis* vehementiores commotiones & simultaneæ exæstuationes; nocent frequentia refrigeria, nec non diæta crassa plena & impura aut ad quascunque impuritates augendas sufficiens, omissis pluribus adhuc, quæ in hoc negotio perniciem minari solent.

§. XXIV.

Sed quo *positiva* quadam medela huic negotio hæmorrhoidali cum scorbuto consentienti subveniamus, sequentes indicationes medicas observandas & exercendas commendamus: ut molesta sanguinis *plenitudo imminuatur*, ut præjudiciosa illius *spissitudo attenuetur* & emendetur, ut reliqua *impuritas* humorum *abstergatur* & *removeatur*, ut *immoderati motus corrigantur*, ut *partes* hactenus affectæ *roborentur*, ut *regimen & diæta* conveniens ordinetur: Quod *præ-*

primam indicationem attinet, illam reliquis præferendam esse judicamus, quia hic morbidus status hac plenitudine *nitur*, dum vel ex eadem *ortum* traxit, vel per eandem adhuc *sustentatur*, augetur & *confirmatur*, deinde quia *præsente* hac abundantia sanguinis ob nimiam *partium* oppletionem, reliqua *crassities* attenuari non potest, imo quia necessariæ, sufficientes & convenientes *se - & excretiones* fructuosè promoveri non possunt, cum semper illa *excedens* quantitas obstet, quare antea per hanc *superflui* sanguinis *depletionem* non modo ipsum molestum *pondus* sanguinis imminuimus, eo-que quantisper vires *sublevamus*, sed & in corpore *spatium* quoddam & ventilationem necessariam conciliamus, quid quod huic scopo satisfacimus, ad quem tam frequenter *motus hæmorrhoidales* contenderant, nimirum ad *superflui* & molesti sanguinis *exonerationem*: ex quo liquet, quam multiplex usus sit hujus evacuationis sanguinis artificialis: ordinamus itaque *præservatorio* scopo Venæ sectionem in pede celebrandam, ita quidem ut Vena *capacior* seligatur & *apertura* amplior concilietur, quo spissior sanguis *facilius* effluat & *alteratio* inde expectanda facilior, certior & citior existat; administretur vero & admittatur talis Venæ sectio *congruo* tempore, nimirum quando motus hæmorrhoidales non vehementius urgent neque in acerbiori gradu, tempore quodam consistunt: attestatur enim solida *experientia*, quod *præservatoria* talis sanguinis depletio plus proficiat, quam *curatoria*: & quo melius exoptatus effectus hujus Venæ sectionis succedat, præstat antea aliquo modo *primas regiones* ab inhærentibus crassioribus fordibus repurgare & per Rhabarbarum, Polypodium, Helleborum nigrum, Sennam, biliofo-mucidas impuritates educere: quales *abstersiones* viscerum abdominis futuris & repetitis etiam usibus relinquimus: providendo tantum ut negotium moderatè & sine impetu fiat: Deinde vero licet *alteram* indicationem aggredi, & sanguinis *attenuationi* prospicere, quam magis per *simpliciore*,
G
quam

quam *operosior* methodum præstandam commendamus, & pro priori intentione ordinamus *mobile* vitæ genus, labores, itinera, moderata corporis exercitia, *equitationes* & quæ operationes qualitercunque *succussatorie* corporis commotioni subserviunt: jungatur sufficiens corporis *humectatio*, per *potum* sufficientem, aut adhibeantur decocta calida dilutiora non mucilaginosæ: siquidem ex pharmacis præscribi possunt decocta ex radicibus Apii, Liqvir. Taraxac. Asparag. Vincetox. Herbis Scordii, Veronica. chærefol. Hepar. nobil. Foenic. Abrotani, Trifol. fibr. Fl. Anth. Cent. min. Sambuc. Aneth. Sem. Fœnic. Carvi, pas-fulis major. caricis pingv. &c. parata: sub quorum usu *mobile* vitæ genus jungatur: potentiora vero sic dicta *resolventia* evitentur, quoniam paulo *intensiores* commotiones excitant: haud vero *pharmaceutica* sanguinis attenuatio tam efficaciter tamque securè succedit ac *dietetica* & *œconomica*: neque denique pro hoc scopo penitus contemnimus moderatum usum *Balnearum* simplicium, quæ *aperiendo* peripheriam & ad *augmentum* motus progressivi sanguinis concurrendo, cooperantur, quo sanguis spissior fluidior reddi queat, si imprimis simul interna *humectantia* conferuntur: cavendum modo est, ne balneata nimium calida sint, neve nimis frequenter adhibeantur: denique adhuc commendamus *Hirudinum* applicationem ad loca *hæmorrhoidalia*, quo partim inferiores regiones à *superfluo* sanguine liberentur, partim deinde *transitus* sanguinis per hæc loca promoveatur, ut & *attenuatio* illius in hisce locis facilius impetrari queat: ob id etiam solertes & expertes Practici sciunt quantam utilitatem conferant hirudines in cura scorbuti.

§. XXV.

Quoad proximam indicationem convenit magis magisque sanguinem à *recrementitiis* substantiis liberare, quo conveniunt partim *abstergentia*, partim *resolventia*, ad priorem classem referimus Salina digestiva, tartarisata, incidentia, po-
ste-

sterioris classis sunt Radices, Vincetoxici, Gentianæ, utriusque Ari, Helenii, Petroselini, Apii, Bardanæ, Petasitidis Pimp. alb. Cyp. rot. Hb. Scord. Card. ben. Cent. min. Absinth. Fumar. Cochlear. Beccabung. Trifol. fibr. Cuscut. capill. Veneris, Abortan. Chelidon. maj. & min. additis similibus quæ in forma infusi vinosi, optimè primas vias penetrant, & abstergunt, & quo *resolutæ* tales impuritates, tempestive è corpore *evacuentur*, convenit ejusmodi remediis vel subjungere vel conjungere moderata purgantia aut laxantia: neque improbamus temperatum & prudentem aloëticorum & Helleborinorum usum: omnia vero hæc adminicula non fugitivè usurpanda sunt, sed cum *constantia* & continuatione: malum enim hoc ita comparatum est, ut ob firmas suas radices tam cito extirpari nullo modo queat: & cum diuersi motuum *excessus* intercurrunt, conveniet etiam proxime tales *motus* lenire, & *temperare*, non vero simul & semel *obruere* & coercere: commendamus remedia nitrosa & cinabarina, & si necessitas urgeat, sepositis opiatis laudamus miscelam ex Essentia Caryophyllatæ, Gentian. rubr. Cort. aurant. Millefol. & Cort. chaccarillæ paratam, aut pillulas ex extractis Fumariæ, Cent. min. Cochlear. Absinth. Gent. rubr. Pimp. alb. Cort. Chaccarillæ Gum. Ammoniac. Galban. Bdell. Therebinth. & exiguis granis Aloes correctæ factas: & si singulæ hætenus commemoratæ indicationes aliquamdiu & sufficienter exercitæ & applicatæ sunt, consultum & necessarium est, quo proxime *partes* hucusque affectæ *roborentur*: pro quo scopo commendamus prudentem usum *carminativorum* ut Ari, Zingiberis, Helenii, Pimp. alb. Gent. rubr. Caryophyllat. Cort. & flor. Aurant. Cort. Citr. Cinnam. deinde admittimus *tonica* mitiora & selectiora, moderata tamen quantitate usurpanda, ut Crocum Martis teneriorem, Tinct. Martis sive cum succo pomorum sive tartarifatam: sub quorum aut aliorum tonicorum usu servandum est *mobile* vitæ genus, & conjungi debet sufficiens tam partium quam humorum *humectatio*

rio

tio quid quod interdum placida laxatione *abus* liberanda & *aperienda* est, quo simplicem Rhabarbarinorum usum commendamus, ita præoccupabitur omnis suspecta strictura in visceribus abdominis: quo vero non modo hæ operationes efficaciter succedant, sed & in futurum omnia suspecta incrementa intercipientur conjungi meretur bona & congrua *dieta*, quæ videlicet tam à plenitudine quam singulis illis speciebus libera est, quæ qualitercunque primas vias offendere, dyscrasiam augere & ad contrarias commotiones incitare solent: regimen ita ordinetur ut sub mobili vitæ genere, aura serena & pura, exclusione sensibilis refrigerationis & conservatione moderati caloris, animo tranquillo *se- & excretiones* constanter & sufficienter succedant. Plura huic præsentī deductioni adjicere non placet, cum ad commendandum hunc consensum hæmorrhoidum cum scorbuto, hæc hæctenus explicata sufficere possint. Nostrum est ut Deo omnium humanarum rerum salutarium directori, pro præstito suo auxilio in exponendo hoc negotio humillimas grates tribuamus: quem etiam devotè veneramur & precamur, quo hunc laborem sua gratia ita prosequatur, ut medicæ artis commoda exinde etiam promoveantur, cui almo satori & benignissimo moderatori, nos & conatus nostros futuros semper consecramus & devovemus.

